


156976



~~749 J. 1⁷¹ d.~~

dupl

3129

SL

COMPENDIUM 237
HISTORIAE 13
REGNI HUNGARIAE,

AB ORIGINE GENTIS, USQUE AD

LUDOVICUM II. [Koll. 1.]

CONCINNATUM

A

GLYCERIO SPÁNYIR

E SCHOLIS PHS AA. LL. ET PHILOSOPHIAE
DOCTORE, PROFESSORE HISTO-
RIARUM.

EDITIO TERTIA AUCTIONIOR, ET EMENDATIO.

TOMUS I.

PESTHINI,
TYPIS ET SUMPTIBUS NOBILIS JOANNIS
THOMAE TRATTNER. 1821.



26879

INTRODUCTIO
i n
HISTORIAM REGNI HUNGARIAE
CAPUT PRIMUM

Ex quarum provinciarum partibus hodierna coaluerit
Hungaria, et quos olim dominos experta sit.

§. 1.

*Hungaria hodierna coaluit ex parte veteris
Pannoniae. Daciae, Moraviae magnae,
et Jazygum ditione.*

Res in primis memoria dignas, quas a sua origine, ad nostram usque aetatem gessere Hungari, fide digna narratione proposituri, ex quarum provinciarum partibus coaluerit regio, quam armis quaesivere, paucis docebimus. Prima Pannonia memoranda est, monte Cetio, Istro, Savoque flumine olim terminata, et in Superiorem, ac Inferiorem divisa. Illam Primam Consularem Romani appellavere: partem Austriae, Stiriae, Carinthiae, Carnioliae citra montem Cetium, Hungariam Transdanubianam usque ad Arabonem annem, maximamque Croatiae partem complexa fuit. Hanc Consularem Secundam dixere, eaque reliquam partem Hungariae, ultra Danubium sitae, Achoni, Istro, ac Dra-

vo interjectam, tum Slavoniam et Bosniam, partemque Serviae, in qua Sangiacatus Belgradiensis, comprehendit. Utriusque pars Dravo, Savoque conclusa, Pannoniae Interamnensis, Ripariensis, Saviae, et Valeriae nomina habuit, quorum ultimum vel ab urbe Illyrii Valeria, vel a cognomine Diocletiani filia sortita est.

Altera occurrit Dacia, a septentrione Carpathicis jugis, et Hieraso, seu Prutho amne, ab ortu eodem Hieraso, et Istro, a meridie itidem Istro, ad occasum Patisso, seu Tibisco terminata. Celeberrima ejus divisio est, in Ripensem, quae Transtibiscanae Hungariae, in Mediterraneam quae Transilvaniae, et Alpestem, quae Moldaviae, Valachiaeque hodiernae respondit.

Marahaniae quoque, seu Moraniae magnae, cum Hungari Europam subirent, ab Albi flumine usque ad Granum extensae, non modica portio partem Hungariae nostrae effecit.

Jazygum vero ditio, inter Granum, ac Tibiscum jacens, ad Hungariam tota accessit. (a)

§. 2.

Post Romanos, Vandalis, Gothis, Hunnis, Gepidis, Longobardis, Avaribus, Francis, et Marahanis paruit, priusquam ab Hungaris occuparetur.

Jam a quibus populis culta, quosve olim dominos experta sit regio, ex harum provinciarum

(a) Philippus Cluverius L. 4. C. 1. et 18. Samuel Timon Imago Antiquae Hung. L. 1. C. 2. 13. 15. 16.

partibus enata, videamus. Ut Romanos, Vandalos, Gothos, Gepidas, Longobardos, Francos, et Marahanos taceam, qui, ut sors tulit, ejus se se dominatu exutum ibant; semel, iterum, ac tertio a Scythicis gentibus expugnata est. Quarto post Christum natum saeculo Hunnorum subiit jugum. His subinde in Asiam rejectis, saeculo sexto successerunt Avars, haud meliore fortuna usi. Utrisque feliciores Hungari, multo sanguine quaesitam regionem. invicta fortitudine adhuc retinent. Horum itaque domi, ac foris patrata facinora, et vicissitudines persecuturi, ab Hunnis majoribus, et cognatis nostris ordiemur.

CAPUT SECUNDUM

De Hunnis.

§. 1.

Hunni olim Sinensibus vicini, corrupto per discordias intestinas Imperio, sensim ad Volgam, terrasque inter mare Caspium, et Maeotidem sitas, deinde (A. 374.) Duce Balambere in Europam venerunt.

Hunni, Scythica gens, e Japhethi posteris orti, sedes avitas ad septemtrionem, Sinensium Imperio vicinas habuere. Numero sensim aucti, Imperium late patens condiderant, perpetuis fere contra Sinenses bellis distentum. Summi Hunnorum Principes Tan-yui dicti, quod nomen coeli filium denotat. Adversus Tanyuum Punuchum circa A. C. 46. Dux Peus arma sumsit, et a Sinen-

sibus adjutus, Australem Hunnici Imperii partem, legitimo domino ereptam, cum sibi, tum Sinensibus obnoxiam fecit. Neque Borealibus Hunnis, ob rebellem illum Ducem, quietis esse licuit, dum denique diuturnis bellis fatigati, sedes illas infestas relinquerent, et occasum versus demigrarent. Hic quoque a Sinensibus diu pressi postremo a Tartaris Topais lacesciti, ad Volgam sensim pervenere. Longius inde progressi sunt, terrasque, mari Caspio, et Maeotidi interjectas, aliquamdiu coluerunt. Sed successu temporis multiplicatos illa vix cepit regio, alendis non suffecit. Conscripto igitur ex 108. Tribubus exercitu, qui unum millionem, et 80. millia efficiebat. Duce Balambere, transmisso Tanai, A. C. 577. Europam intrarunt.

§. 2.

Victis Alanis, Ostrogothis, aliisque populis, in Dacia, Pannonia, et vicinis regionibus magnum Imperium condiderunt, post Balamberem, Charatonem, Uldino, Mundsucho, et Tutoribus Attilae Octari, ac Ruqe subjecti.

Devictis, aut in armorum societatem adscitis qua iter habuere, populis, quos inter Alani, Ostrogothique praecipui, biennii spatio omnem a Tanai usque ad Danubium regionem sibi subijciunt; Visigothis demum in Maesia degentibus adversum Romanos auxiliati, illorum vicissim opera Pannoniae parte potiuntur, et Imperium non minus potens, quam in Asia olim obtinue-

rint, in Europa fundant. Summi Principes, post Balamberem usque Attilam, Hunnis Europeis praefuere: Charaton, et Uldinus Romanorum amici, tum Mundsuchus, alias Bendegutz et Tutores Attilae Oetar, ac Rua, qui Jazygibus, pluribusque populis ad Danubium superatis, limites Imperii egregie protulerunt.

§. 3.

Attila occiso fratre suo Buda, Imperium auxit: Theodosium II. Imperatorem tributo subjecit: sed cum Aetio Valentiniani III. Duce (451.) in campis Catalaunicis dubio Marte conflictit. Vastata Italia, repente obiit. 454.

Sed ad fastigium suae potentiae Hunnorum Imperium sub Attila pervenit. Hic A. C. 430. cum fratre Bleda, seu Buda divisa potestate praeesse coepit; illo dein, incertum, quibus ex causis, interfecto, formam regiminis Monarchicam apud suos induxit. Acaciros, aliosque Ponti Euxini accolas armis domuit; evastata Thracia, Theodosio II. Imperatori, pacem petenti, tributum annuum 700. librarum auri imperavit; postea ob negatam sibi Honoriam, Valentiniani III. Imperatoris sororem, Occidentis Imperium adgressus, redacta in potestatem reliqua Pannonia, Germaniam, Galliamque subivit, et in campis Catalaunicis cum Aetio Valentiniani Duce, quocum adolescens educatus fuisse scribitur, A. C. 451. dubio Marte conflictit. Anno sequente ab Honoria incitatus, expeditionem in Italiam suscipiens,

Aquilejam evertit, Ravennam, Paduam, Mediolanum, Mutinam, pluresque alias urbes deditione accepit; Roma Leonis Magni, Summi Pontificis, facundia dimotus, exercitum in Pannoniam reduxit, et A. C. 454. celebratis cum Hildegunda, Henrici Francorum Regis filia nuptiis, delapso e naribus in fauces sanguine, quo morbo saepe laboraverat, suffocatus, obiit.

§. 4.

Attilae filii Ellak, Dengisits, et Irnak inter se discordes, Imperium corruerunt. Duobus fratribus in bello occisis, Irnak Hunnos a clade residuos ultra Boristhenem reduxit.

Filios ex uxore Graeca reliquit tres: Ellak, Dengisits, et Irnak. Horum discordiae potentissimo Hunnorum Imperio exitium attulerunt. Medius fratrum Dengisits divisionem Imperii impertune urgebat. Repugnante Ellako, turbae natae sunt, quarum occasione Ardaricus Gepidarum Rex arma sumpsit, et in praelio Ellak periit. Dengisits contra Romanos, et Gothos pugnans, victus, in fuga per Anagastum militiae Praefectum caesus est, et caput ejus Constantinopolim delatum A. 469 Irnak natu minimus cum popularibus, a clade reliquis, ultra Boristhenem se recepit. (a)

(a) Haec sunt ius in Parte I. Chronici Thurotzianni. Pray Annalium Veterum Part. I. de rebus gestis Hunnorum.

CAPUT TERTIUM

De Avaribus.

§. 1.

Avares origine Hunni, ultra montem Caucasum Imperium habuerunt, quo a Turcis everso, Europam ingressi, in Dacia, et Pannonia (568) Imperium fundarunt, sub bellicosus Chaganis, gentibus vicinis metuendum.

Saeculo Christi sexto regionem, quam incolimus, ab Avaribus fuisse occupatam, monuimus. Illi Hunnicæ fuerunt originis, Hunni etiam vel Hunno Avars dicti, diu in Asia, ultra montem Caucasum dominati. Potens ipsorum Imperium circa A. C. 555. Turci, prius subditi, everterunt. Pars victorum jugum subivit, Pars migravit ad Sinenses, caeteri libertatis studiosi, exemplo priorum Hunnorum, Europam intrarunt, a Justiniano I. Imperatore ea lege in Daciam admissi, ut accepto annuo stipendio, Imperium Orientis contra quosvis hostes defenderent. Ex hoc foedere plures nationes; Graecis infestas, debellarunt. Deinde facta cum Longobardis societate, Regnum Gepidarum sibi asseruerunt. Foederatis vero in Italiam discedentibus, Pannonia potiti, Imperium vicinis metuendum condiderunt A. C. 568. Summi Avarum Principes Chani, vel Chagani appellati sunt, quibus tam Occidentis, quam Orientis Principes et amplissima offerebant munera, et tributa annua persol-

vebant, ut a vastandis ipsorum ditioribus cohererentur.

§. 2.

A Thassilone Bavariae Duce in armorum societatem vocati, Francorum terras semel, iterumque invaserunt. Quare Carolus Magnus octo annorum bello ipsos fregit, et inter Sabariam, atque Carnuntum collocatos, Religione Christiana imbuat, et sibi parere coegit.

Bellum Francicum tanto Imperio perniciosum fuit. Carolus Magnus Francorum Rex, capto Desiderio, Longobardorum in Italia Regnum evertit. Luidberga Desiderii filia, Thassiloni Bavariae Duci nupta, virum precibus suis movit, ut ad restituendum patri suo Regnum, Francorum Regem armis cogeret. Hic viribus Caroli se impari sentiens, vicinos sibi Avars in armorum societatem invitavit. Illi nihil morati, capto etiam, et Ducatu privato Bavaro, Francorum terras semel, iterumque invadunt. Suorum detrimentis motus Carolus, magna vi Avars adgreditur, Regiam eorum capit, munimenta disjicit, pacem orantes in fidem recepit A. C. 796. Tum vero debilitatos, et per omnem Pannoniam sparsos, ad agros, inter Carnuntum, et Sabariam convenire jubet, Praefectosque limitum pro eorum custodia constituit, jure eligendi sibi Chaganos, qui tamen Regibus Franciae obnoxii essent, iisdem permissos. Ex iis Chaganis saeculo IX. Thudunus III. una cum suis popularibus, Reli-

gionem Christianam suscepisse scribitur. Manserunt Auares Francis subjecti, usque ad Hungarorum adventum: (a) illi vero, qui Daciam incoluerant, aut metu Francorum in illam fugerant, circa A. C. 802. a Bulgaris excisi fuere. (b)

(a) Pray Annal. Vet. Parte II. (b) Suidas Eclogae Histor. de rebus Byzant. in voce Bulgari, et apud Stritterum T. 1. pag. 758.

HISTORIAE REGNI HUNGARIAE
PERIODUS PRIMA

ab A. circiter 842. — 1000. = 158.

CAPUT PRIMUM.

De Hungarorum origine, avitis sedibus, et ingressu in hodiernum Regnum.

§. 1.

Hungari ab iis Hunnis orti sunt, qui post collapsum Attilae filiorum Imperium in Asiam reversi, subinde propter occisum Ducem suum Gordam Christianum, Justinianum I. Imperatorem metuentes, a Bosporo abiverunt, et conlederunt in Dentumogeria, quae inter Camam, Volgam, et Ural fluvios jacuit.

Cum Majorum nostrorum originem, et quas ante suum in hanc regionem adventum sedes obtinuerint, eruditi inquirunt, vetustioresque recensent vicissitudines, in partes plane diversas feruntur. Nos eam sententiam adscivimus, quae gravium Scriptorum auctoritate in primis fulcitur. Igitur ad Hunnos, quos post collapsum Attilae filiorum Imperium, ultra Boristhenem restitisse diximus, redeundum est. Irnák filius Atti-

lae natu minimus, cum inter Boristhenem, ac Tanaim popularibus suis, a clade residuis dominaretur, duos filios suscepit, a patriis Scriptoribus Ed, ac Edemen, a Graecis Uturgur, et Cuturgur compellatos, (a) qui subinde populum, et regionem paternam inter se dividentes, Uturguris, et Cuturguris, a suo nomine dictis, originem praebuere. His pristinas citra paludem Meoticam sedes retinentibus; illi ultra eandem abiere. (b) Dux Uturguris, prope Bosporum habitantibus, Gordas praefuit, qui Constantinopoli sacra Christianorum secutus, cum domum redux, confractis falsorum Numinum simulacris, avitas superstitiones extirpaturus, Religionem Christianam inter suos propagare conatur, pii fervoris victima occumbit, et frater ejus Moager, veterum rituum tenax, supremo in populares imperio potitur. At Justinianus I. Imperator Orientis, spes suas, convertendae ad Christum gentis Hunnicae. succisas esse dolens, simul amici eadem ulturus, copias adversus Uturguros ire jubet. Illi iram tanti Principis veriti, arrepta fuga disparuerunt. (c) Fugisse in Dentumogeriam regionem, Volga, Cama, et Ural fluminibus conclusam, plerisque videntur; ex hac enim ipsorum posteros, Majorisque nostros tardius prodiisse, certum, et exploratum est. (d)

(a) Procopius de bello Gothico apud Stritterum T. 1. p. 546. Thurocz. Parte I Cap. 23 (b) Apud Stritterum T. 1. p. 547. (c) Tphphanes apud Stritterum T. 1. p. 588. (d) Anonymus Belae R. N. Cap. 5.

§. 2.

Cum regio illa populi multitudinem aegre comprehenderet: egressi ex ea Hungari, in Europa inter Tanaim, et Bogum sedes posuerunt, circa A. C. 840. ac vicinos suos Chasaros in omnibus bellis iuverunt.

Sed neque quas res gesserint, nec quibus, post Moagram, principibus paruerint, perinde cognitum Illud Scriptores tradunt, temporis decursu ita increvisse ipsorum numerum, ut Dentumogeria, etsi latissime pateret, nec alendis sufficeret, neque populi multitudinem commode caperet. (a) Ex ea igitur demigrarunt, et penes Chasaros, qui Tartariam Chrimeam incolebant, in regione a Tanai ad Bogum, aut Tyram usque procurrente, cui a primae Tribus Ductore, Lebediae nomen Graeci tribuunt, (2) consederunt, ab expeditione contra Macedones pro Bulgaris, Theophilo apud Byzantinos rerum potente, suscepta, (c) praeterea a facto A. 862. in provincias Ludovici Germanici impetu noti. (d) Alias vicinis suis, et cognatis Chazaris omnibus in bellis auxilio adfuerunt. (e)

(a) Anonym. Belae R. N. Cap. cit. (b) Constantinus Porphy. apud Stritterum T. 3. Parte 2. p. 607. (c) Leo Grammat. et Georg. Monachus apud Stritt. T. 3. P. 2. p. 673. (d) Annal. Bertiniani, apud Pray. Annal. Vet. p. 321. (e) Const. Porphy. l. e. p. 608.

§. 3.

*Subinde a Pacinacitis victi, in Moldaviam-
et Valachiam venerunt, non paucis ad
montes Carpaticos, peragrata Gallicia,
et Lodomeria, subsistentibus circa A.
880.*

At Pacinacitae, Bessi etiam, vel Bisseni cognominati, conjunctis Chazarorum, et Cumanorum armis a Volga flumine pulsati sunt, qui dum sedes novas quaeritant, in Hungaros irruunt, et praelio victos e Lebedia eiciunt, circa A. C. 880. Pars ad fines Persidis se contulit, pars Moldaviam, Valachiamque subiit; (a) partem, postquam Kioiviam praetergressa est, (b) peragrata Gallicia, ac Lodomeria, ad montes Carpaticos adhaesisse, dicamus, necesse est, ut vetustissimum rerum domesticarum Scriptorem Anonymum cum Graecis conciliemus. (c)

§. 4.

*In septem Tribus sub totidem Ductoribus
divisi, Supremum Ducem crearunt Ar-
padum, Almi filium, qui Chazarorum
accessione firmatus, Leoni Sapienti
Orientis Imperatori contra Simeonem
Bulgarorum Regem, et Arnulpho Ger-
maniae, et Pannoniae Regi contra Sva-
toplucum Moraviae magnae Regem
opem tulit.*

(a) Const. Porphyr. l. c. p. 608. et 611. (b) Nestor Hist. Russ. (c) Pray Hist. Reg. Hung. T. 1. Not. praev. p. 33.

In Moldaviam, et Valachiam, Graecis tum Atelkuzu dictam, septem Tribus venerunt. Singulis singuli Praetores praecerant. Hos Graeci Boebodos, patrii Scriptores, Capitaneos, Hetumogeros, septem principales personas appellant. Penes quem summum in omnes fuisset imperium, adhuc habuere neminem. Itaque Chaganus Chazarorum vocatum ad se Lebediam, quod et splendore generis, et fortitudine maxime omnium florere videretur, Principem gentis constituere voluit, sperans, obnoxium sibi fore, si Principatum suo beneficio obtineret. Illo deprecante, legatos de ea re ad Hungaros mittit, qui collatis inter se consiliis, Arpadum Almi filium, prudentia, consilio, et fortitudine insignem, Principem creant, et Chazarorum more, scuto sublevatum inaugurant. (a)

Vires Hungarorum, accedentibus Cabaris, brevi non mediocriter auctae sunt. Chazaris enim bello civili inter se dissidentibus, tres Tribus a reliquis victae, ad Majores nostros transierunt, et ab his receptae, octavam Cabarorum Tribum fecerunt, quae ceteris robore praestantior, principem locum postea tenuit, praelia ordiri solita. (b)

Quantum ea conjunctio valuerit, bello cognitum est Bulgarico. Nam a Leone Sapiente Orientis Imperatore in armorum societatem adsciti, trajecto in Bulgariam exercitu, Simeonem Regem triplici praelio superatum, Silistriam pro-

(a) Const. Porphyr. l. c. p. 609. et 610. (b) Ibidem p. 611.

figarunt, et captivis Leoni venundatis, opulentam praedam domum tulerunt. (a) Non minor illorum fortitudo bello Marachanieo apparuit, cum A. 892 Germaniae, et Pannoniae Regi Arnulpho, contra Regem Svatoplucum auxilio fuere. (h)

§. 5.

Cum in societate Arnulphi Moraviam vastarent Hungari, domi a Bulgaris magna damna acceperunt. Quare pristinis sedibus relictis, in hoc Regnum immigrantes, primo Transilvaniam, et vicinas Tibisco regiones, tum spoliata Italia, Pannoniam, denique praecipuam Moraviae magnae partem occuparunt.

At sibi, suisque illata nuper damna ulturus Simeon, cum major nostrorum pars, socio Arnulpho, Marachaniam populatur, regionem eorum, facta cum Pacinacis societate, ingressus, quod ad tuendos limites relictum erat; disiecto praesidio, foedum in modum vastavit. Reduces a Merahanis. cum damna conspicerent, sedes in solitudinem ferme redactas, hostiumque injuriis expositas deseruerunt A. 898. (c).

In hodiernum Regnum devenisse tum Hungaros, satis constat; sed quam eius partem primo insederint, inter Scriptores non convenit. Ungen-

(a) Leo Gramm. et Const. Porphy. l. c. p. 614. 616. (b) Annal. Bertin ad A. 892. Lambertus Schaffn. ad A. 895. (c) Const. Porphy. apud Stritterum l. c. p. 616. Prey Hist. Hung. T. 1. in Not. praev. p. 36.

sem, et Bereghiensem plagam omnium primam expugnasse, quidam docent; (a) alii Transilvaniam occupatam, septem castris munivisse, perhibent. (b) Neque tamen a vero alienum videtur, partem cum Arpado per Transilvaniam; aliam minorem, quam ad montes Carpaticos substitisse diximus, ex Galicia superatis montium jugis, huc appulisse. (c)

Transilvania, et vicinis Tibisco regionibus potiti, Pannoniam, Arnulphi provinciam, a Marahanis stimulati, invaserunt, ubi incolarum alios trucidant, in servitutem redigunt alios, alios, ipsos adeo Avars, quotquot caeli supererant, ut quibusdam placet, ejiciunt. (d) Tum vero in Italiam subitus quidam impetus eos rapuit A. 899. ubi a Berengario I. Rege locorum angustiis conclusi, cum pacem, securumque reditum impetrare nequeunt, sumunt ex desperatione audaciam, seque mutuo cohortati, Italos adoriuntur, et ad Brentam fluvium 20. eorum millia delent, Italiam spoliant, maximis muneribus postea dimoti. Versis demum in Moravos armis, Moraviam magnam sub suam redigunt potestatem, parte solum exigua, quae ultra Moravam amnem jacet, Bohemis cum onere tributi concessa. (e)

Ita occupatum hodiernum Regnum, una cum Transilvania, inter se partiti sunt. Arpadus, ejus-

(a) Anonymus B. R. N. Cap. 12. et 15. (b) Thurocz. Chron. P. 2. Cap. 1. et 2. (c) Pray Hist. T. 1. in Not. praev. p. 58. (d) Aventinus Annal. Bojor. L. 4. (e) Anonymus B. R. N. Cap. 57.

que successores praecipuam terrarum portionem obtinuerunt; tum Praefectis Tribuum amplae ditiones assignatae: hi denique militibus, quibus praeerant, agros, ex quibus, loco stipendiorum, necessaria vitae praesidia haberent, ad dies vitae possidendos dederant. (a)

CAPUT SECUNDUM.

Res Hungarorum sub Zultano, Toxo, Geisa et Stephano Ducibus.

§. 1.

Arpado Zultanus successit A. 907. sub quo Hungari vicinas. quin et remotiores provincias crebro infestantes, Christianis horrore fuerunt; quamquam non leves clades interdum et ipsi acceperint, praesertim ab Henrico, et Ottone I. Germaniae Regibus.

Quae adhuc attulimus, Arpadi auspiciis gesta sunt, quem quatuor filiorum natus minimus Zultan superstes in Principatu excepit A. 907. (b) Ille primus; quibus limitibus contineretur Hungaria, definivit. Bellis adsyeta natio quieta esse noluit, convenienter illorum temporum moribus; nam fortitudo militaris ubique gentium maxima tum virtus habita est. Illo igitur Duce Hungari provincias Germaniae crebro vastatum ibant, cum Ludovicus Infans, et Conradus I. rerum apud Germanos potirentur. Sed sub Henrico Aucupe idem audendum rati dum per Alemanniam, Alsatiam,

(a) Pray l. c. p. 46. et 47. (b) Const. Porphyr. l. c. p. 623.

Galliamque grassantur, Ducum quidam in hostiles manus incidit, quem ut reciperent, novennales cum Henrico inducias fecerunt. Rex omne illud tempus iis artibus dedit, ut non sperare modo, sed confidere etiam posset. praeliorum, quae cum hostibus committeret, feliciores exitus fore. Igitur postquam judicarium tempus praeteriit, Hungaris censum annum postulantibus negavit, qui cum in Thuringiam, et Saxoniam impetum fecissent, 36. illorum millia delevit. (a) Ea clades non fregit Hungaros, sed irritant, existimantes Henrici prudentia niti Germanorum fortitudinem. Illius ergo Regis morte audita, Saxoniam invadunt, et licet inde virtute Ottonis I. rejicerentur; Bavariam tamen, et Franconiam, immo transmisso ad Vornatiam Rheno, Lotharingiam quoque, Galliam, et Italiam caedibus, ac incendiis compleverunt. Ad sua revertentibus clades a Carenthans illata est Zultan variam fortunam expertus, simul vires sibi deficere sentiens, Principatum in filium Toxum transtulit, A. 946. triennio post exstinctus.

§. 2.

Toxus A. 946. Principatum adeptus, felix in Italia fuit: in Bavariam ad Augustam A. 955 tantam cladem accepit, ut paucos incolumes reduxerit. m. 972.

Toxus Zultani filius, fervido ingenio, et gloriae cupidus, primum armorum impetum in Ita-

(a) Frodoardus in Chron. ad A. 955. apud Pray Annal. vet. p. 335.

liam vertit, satius esse ratus illis, quam in Germania dimicare. Victori Berengarius II. decem modios nummorum dedisse scribitur, ut ex provincia demigraret. (a)

Germanos postea damno suo lacesivit. Ludolphus Ottonis I. filius, ob alteras nuptias, contra patrem rebellans, auxilium ab Hungaris petiit. Sed mox Episcopi Augustani oratione conciliatus, futuros secus armorum socios, donis prosecutus, domum remisit. Illi non contenti acceptis muneribus, denuo Bavariam adoriuntur, et regionem usque ad Lyeum fluvium populati, Augustam Vindelicorum obsidione cingunt. Tum vero ab Ottone Caesare, Henrico Bavariae, et Conrado Lotharingiae Ducibus iniquo loco circumventi, fortissimis suorum amissis, eladem funestam acceperunt. Tres Duces Hungarorum: Leel, Assur, et Bulsus capti, ad Ratisbonam, jussu Henrici, supplicio adfecti sunt. Reliqua multitudo partim in praelio partim in fuga ab hostibus caesa, pauci incolumes redierunt. (b) Fregit tanta elades Hungarorum audaciam, ut a Germania, et Italia diu manus abstinerent; Bulgaris tamen et Graecis porro etiam damna inferre pergebant, dum denique extremis Geisae Ducis temporibus ferociam ponere, et pacis artes complecti, coepissent. Toxus A. 972 e vita excessit Geisa, et Michaelis filiis relictis

(a) Luitprandus L. 5. Cap. 15. Pray Annal. vet. p. 363. (b) Continuatur Regionis, et Vitichindus apud Pray Annal. vet. p. 363. — 366.

§. 3.

Geisa initio Principatus sui Christianorum hostis, subinde ab uxore sua Sarcolta Gyulae Transilvani filia, a S. Adalberto Pragensi Episcopo, et cognatis Giselaë, quam filio suo Stephano despondit, eo adductus est, ut cum tota familia, et multis populis Religionem Christianam susciperet. m. 997.

Geisa Toxi filius, non minus crudelis in suis, quam exteris gravis, initio Principatus fuisse traditur: (a) copias, quae praedas, agerent, in Bulgarorum potissimum, et Graecorum fines dimittebat, abstinens suos a Germania, dum Otto I. viveret, ad quem legatos etiam cum muneribus A. 973. miserat, ipsius prius legatione honoratus. Sed hujus Imperatoris morte cognita, continuo Hungari in Bavariam irruerunt, diutius ibi caedes, et incendia sparsuri, Geisa procul dubio non in seio, neque invito, nisi Leopoldus Babenbergicus, Austriae Marchio, manu fortis, et strenuus, eos Mellicio castro, ad excursions faciendas opportune sito, et omni trans montem Getium regione A. 985. depulisset. Haec etsi jactura esset; alia tamen eam secuta est utilitas; nam cum judicasset Geisa, tot illatis, acceptisque cladibus civitatem Hungaricam enervari, totum se dedit pa-

(a) Ditmarus L. 8. apud Pray l. e. p. 377. Hartvicus apud Schwandtnerum T. 1. p. 414. Ransanus Indice 8.

eis artibus, liberam faciens exteris in Ducatum suum immigrandi facultatem, quo factum est, ut quaestores multi, artifices, et opifices huc venirent, pacis studia promoturi. Crevit eorum numerus, postquam Dux, uxoris precibus, permotus, Christianis Sacerdotibus, ut rem sacram palam facerent, indulisit. (a) Hac facultate S. Adalbertus Pragensium Antistes in primis usus, et ipse huc veniebat, et alios ad praedicandum Evangelium idoneos praecones dimittebat. Geisa uxorem Transilvanam duxerat, filiam Gyulae Majoris, qui Byzantii antea sacro fonte mundatus, eodem et filiam, domum redux adluit, deinde Geisae collocavit, ex qua natus est Vaik, Stephanus postea dictus. Huic pater Gisela Bavariae Ducis Henrici II. cui Rixosi cognomen, filiam, uxorem dare decrevit, quam cum per legatos peteret, S. Henricus virginis frater, et Otto III. sanguine junctus, illam se collaturos, nisi sponsus Christianus fieret, negarunt. Id quum Geisae relatum fuisset, se, filium, domumque totam sacris undis lavari jussit; ejus exemplum cum multi nobilium sequerentur, res publica Hungarorum brevi florere coepit.

Geisa A. 997. diem obiit supremum. Praeter filium Stephanum, tres ei filiae fuerunt: Juditha Duci Poloniae Boleslao I. Gisela Duci Venetiarum Ottoni Urseolo, Sarolta Samueli Abae in matrimonium datae.

(a) Biogr. S. Adalberti in Actis SS. mensis Apr. T. 5. ad diem 25. e. m. Pray. l. c. p. 576.

§. 4.

Stephanus, Vaik ante baptismum dictus, Cupam Simeghiensem Ducem, Religionis Christianae acerrimum hostem, virtute Vencelini superavit, et occidit. Deinde Religione Christiana latius propagata, designatisque Episcopatibus per Astricum montis Pannoniae Abbatem, postea Episcopum Colocensem, coronam, et crucem Apostolatus signum, a Silvestro II. Pontifice obtinuit.

Stephanus Dux Geisae filius, difficili usus est principatus initio; nam exorta inter Germanos advenas, et Hungaros seditio bellum civile post se traxit Auctor mali Cupa Simeghiensis Dux fuit, qui contempta Principis aetate, cum magnum plebis numerum sub signa coegisset, caedibus late grassatus, obsessoque Vesprimio, bello Stephanum petiit, spe fretus, si victoria potiretur, Regni se possessionem adepturum. Sed praeter spem suam res cecidit. Stephanus enim, contractis celeriter copiis, opique coelesti confisus, rebellem, conserto praelio, virtute Vencelini superavit, et eos, qui defecerant, caeso Duce, ad officium reduxit. (a)

Deinde ad Religionem se applicuit. In hac propaganda, Sacerdotum ex Ordine S. Benedicti praecipuum studium adhuc enituit, pro quibus

(a) Thuroez. Chron. P. 2. Cap. 28. Bonfin. Dec. 2. L. 1. Hartvicus apud Schwandtner. T. 1. p. 416.

Geisa insigne coenobium in monte Pannoniae struere adgressus erat. Id D. Martino sacrum Stephanus perfecit, eidemque rerum omnium ex provincia Simeghiensi decimas contulit, ut quod ante pugnam susceperat, votum solveret. Postea in omnes partes verbi Divini praecones dimisit: nec ipse viri Apostolici Officium renuit, jam omnes, jam singulos, dum Regnum obiret, hortatus, ut missis ethnicorum ritibus, fidem orthodoxam sequerentur. (a)

Neque hi conatus optato fructu caruerunt. Quapropter Regnum in decem Dioeceses partitus, sedem Archiepiscopi Strigonii fixit, designatisque nonnullis Episcopis, Astricum montis Pannoniae Abbatem, Colocensi Ecclesiae destinatum, Romam ad Silvestrum II. Pontificem legatum misit id acturum, ut gentem Hungaram in gremium Ecclesiae reciperet Pontifex, ac designatos Episcopatus auctoritate sua confirmaret, coronam denique Stephano, qua regio more inauguraretur, daret. Pontifex tot hominum salute magnopere gavisus non modo postulata fecit; verum crucem etiam Apostolatus signum, addidit, facta Stephano, Ecclesias Hungariae vice sui ordinandi potestate. (b)

(a) Hartvicus l. c. (b) Ditmarus L. 4. Hartvicus l. c. p. 117. Pray Annal. Reg. Hung. P. 1. p. 6.

HISTORIAE REGNI HUNGARIAE

PERIODUS SECUNDA

ab anno 1000. — 1301. = 501.

S. Stephanus Rex I. ab anno 1000. — 1038. 38.

§. 1.

Coronatus Stephanus A. 1000. Regis titulo uti coepit. Rempublicam sacram, et profanam magna cura complexus multa templa, ac monasteria exstruxit. Regnum in Comitatus divisit; Barones Regni, et Senatum Regium constituit. Rem militarem in ordinem redegit Litteras, fundato Albae Regiae Gymnasio, et Scholis alibi constitutis, promovit.

Fuit jam antea Stephanus auctoritate inter suos Regia, quamvis carebat nomine; Astrico vero, rebus e sententia compositis, domum reverso, per Dominicum Archiepiscopum Strigoniensem solenni ritu inauguratus, nomen Regium cum diademate sumpsit. Annus tum a Christo nato millesimus agebatur. Neque satis habuit, titulum mutavisse, nisi paullo aliam Regno faciem daret. Igitur multa de re sacra, civili, militari, atque litteraria sapienter praecepit.

Praeter Ecclesias, quas Cathedrales vocamus, multa in oppidis, et pagis templa extruxit, Regi-
aque liberalitate dotavit. Coenobii S. Martini in
monte Pannoniae, quod a patre inchoatum, ad fi-
nem perduxerat, supra jam meminimus. Pro eis-
dem Ordinis S. Benedicti Sacerdotibus Pétsvara-
dini, in monte Zöbor, in Szala, et Bakonbél; pro
sacris autem Virginibus in valle Vesprimiensi, ad
montem Somlyó, ac in Tormova monasteria aedi-
ficavit. Ordinis S. Benedicti Sacerdotes multos,
pauci quod adhuc essent saeculares Presbyteri, in-
ter Praelatos distribuit, ut, qui Canonicorum,
sacrorumque Curionum munere fungerentur, ha-
berent. Quaevis decem villae, seu pagi templum
unum ponerent; praecepit: haec suppellectili sa-
era Rex ipse instrueret, Presbyteros idoneos Epi-
scopi praeficerent, curaturi praeterea, ne ad mu-
nus obeundum liberi necessarii illis deessent.
Bona Episcopis ampla decimasque fructuum, qui
ex Dioecesisbus redirent, contulit. Sed Regia Ste-
phani liberalitas ad exterarum etiam, illasque remo-
tas regiones pertinuit; Hierosolymis quippe, Con-
stantinopoli, Romae, et Ravennae aedes condidit,
pro illorum commodo, qui pietatis gratia, Hiero-
solymas, Romamve iter suscepissent. (a)

In re civili constituenda, antiquos, et sui
temporis imitatus Augustos, quo in publicum com-

(a) Hartvicius l. c. p. 418. Pray Annal. Reg. Hung. P.
1. 29. 42. Katona Hist. Crit. T. 1. p. 147. 441.
169. Inchofferus Annal. Eccl. T. 1. Vol. 3. P.
542. — 348.

modum esset studio, palam fecit. Quae Principis Procerum, ac Nobilium jura essent, aut officia, descripsit. E sacri, profanisque ordinis viris, qui religionem, aequitatem, legum observationem, commoda Regni, et securitatem curarent, Regique in consilio adessent, Senatum Regium instituit. Regnum universum in Comitatus distribuit, Supremum cuique Comitem, qui olim Comes Parochianus dictus est, praeficiens. Magistratus denique creavit, qui Barones Regni nuncupantur.

Jam quo res militaris modo a Rege constituta sit, dicemus. Nobiles praerogativis multis ornati, militiam facere singuli, cum res postulasset, debebant. Hos Servientes Regios antiqui dixerunt. Aliud genus militiae per Comitatus distributum, et in plures turmas a Stephano divisum, Jobágyonum Castri nomen habuit. Limitibus Marchiones, seu Comites Limitum sunt praefecti, iisque Speculatores, ac Veloces additi. Illorum fuit, quid hostis moliretur, observare: horum pars, quae ab illis didicit, dum ad milites castrorum pertulisset, pars hostem Regno imminentem levibus pugnis tenuit, antequam validior exercitus advenisset. (a)

Litterae cum Religione Christiana in Regnum illatae sunt, quarum utilitas ut ad plures pertineret, Albae Regiae, evocatis e Germania Magistris Gymnasium fundavit. Praelatos praeterea singulos suis in civitatibus, Ordinis S. Benedicti Sacer-

(a) Kollár Amoenit. Juris publ. Hung. Vol. 2. Sect. 7. Cap. 1. p. 155.—162. Pray Hist. T. 1. in Not. praev. p. 78. et seqq.

dotes in monasteriis suis scholas aperire jussit: illic ad curam animarum idoneos viros Canonici praeparerent, hic Patres Benedictini suis olim ritibus, saerisque initiandos erudirent. Fecit denique Stephanus, ne quibusvis frequentioribus civitatibus Grammatices Magistri deessent, qui juventutem opificio, aut mercatui destinatae, legendi, scribendique artem edocerent. (a)

§. 2.

Leges utiles tulit, quarum aliae ad rem sacram, aliae ad civilem, reprimentamque scelerum licentiam pertinent.

Cetera, quae saluti publicae, aut singulorum commodis consulturus statuit, altero ejus Decreto continentur. Ab hoc enim Principe primas, quae exstant, leges accepere Hungari, duobus libris, seu Decretis in Codice Juris patrii comprehensas. Sed prior liber privatum S. Regis opus est, quo filio Emerico recte vivendi, et regnandi, praecepta tradidit. Alter veri nominis leges complectitur, in Episcoporum, ac Procerum comitiis latis, et Regia auctoritate confirmatus. Earum aliae ad rem civilem, ad sacram pertinent aliae. Illarum pleraeque committi vetant crimina; commissis, quae poena irroganda sit, docent; hae cultum dierum festorum, observationem jejuniorum, et his similia praecipunt. (b)

(a) Paullus Vallaszki in Consp. Reip. Litt. p. 66. et seqq. (b) S. Steph. Decr. II.

§. 3.

Victo Gyula, Religionis Christianae hoste, Transilvaniam cum Hungaria arctius, conjunxit. Keanum Bulgarorum, et Sclavorum Ducem victum occidit. Conradum II. Imperatorem inimicum, ex Hungaria removit. Hungariae partem, in qua nunc Banatus Temesiensis jacet, occiso in bello perfido Praefecto Achtumo, ad obsequium revocavit.

Insignis pacis artibus Princeps neque virtute caruit bellica. Nam Gyulam juniorem, qui tum Transilvaniae praefuit, odio Religionis Christianae, ad exemplum Cupae, vicinas Hungariae partes carpere ausum, cum monitis reconciliare non posset. A. 1002. armis fregit, captumque cum uxore, et liberis in Hungariam transtulit; provinciae autem ad fidem adductae Episcopum, qui sacras, Praefectum, qui res civiles, Regis nomine curaret, dedit. (a)

Keanum vero Bulgarorum, ac Sclavorum Ducem, Regno infestum, etsi locis aditu difficillimis strenue se defenderet, magno labore superatum, atque occisum a Stephano, in Annalibus patriae legimus. (b)

Postea sive talio Bavaris reddita, qui per speciem sacrae peregrinationis, Hungariae fines populati fuerant; sive negatus Conradi II. Impera-

(a) Thurocz. P. 2. Cap. 29. Pray Annal P. 1. p 17.

(b) Thurocz. P. 2. C. 30 Bonfin. Dec. 2. L. 1.

tōris legato Byzantium per Hungariam transitus. quod et caussam suae legationis tegeret, et majore cum comitatu, quam ceteroqui legatis mos sit, proficisceretur; sive denique Bavaria jure materno ad Emericum Regis filium pertinens, Henrico filio a patre Caesare data, inimicitias inter Stephanum, et Conradum, hae bellum A. 1030. peperere, magnis utrinque animis gerendum; nisi Caesar vastitatem usque ad Arabonem amnem circumferens, Rege cum copiis occurrente, praeterea ob densos saltus, ac fluvios longius progredi, minime securum esse existimans, incendiis late grassatus, spoliisque onustus, exercitum reduxisset, pacem cum Rege anno sequente, incertum, quibus conditionibus, facturus. (a)

Achtumum denique, illi parti praefectum, quae a Tibisco in Valachiam ultra Severinum porrigitur, suscepto Vidini baptismo, Ecclesiae Graecae addictum, et Imperium cum suis paulatim detrectantem, A. 1034. vicit, et in pugna occidit, pacemque provinciae restituta, Episcopatum in urbe Morisena (hodie Csanadinum vocant) condidit, victori Duci Chanado urbe ipsa donata. (b)

(a) Pray l. c. p. — 39. Hartvicens apud Schwandt. T. I. p. 421. et 422. (b) Biograph. S. Gerardi C. 8. et 11. Pray Hist. T. 1. p. 55. et 36.

§. 4.

Amisso filio Emerico, et excoecato ab improbis Vazule, postquam Andreas, Bela, et Leventa Ladislai Calvi filii ex Hungaria excessissent, Petrum sororis suae filium successorem designavit.

Rebus omnibus magna sapientia, et aequitate compositis, gravis Stephanum de successore sollicitudo tenuit. Nam Emericum filium, quem in spem Regni magna cura educaverat, jam A. 1051. matura morte sublatum amisit. Ladislaus Calvus, Michaelis Regis patruo genitus, etiam diem suum obiit; hujus vero filii: Andreas, Bela, et Leventa non eo fuere ingenio, ut recens inductam Religionem, in quo reperissent status, conservarent. Neque Vazul, alter Michaelis filius, Stephano satis probatus, immo Nitriae ab eo inclusus erat, quod liberius viveret. Tamen illum agnatorum omnium maxime idoneum arbitrabatur, qui sibi succederet. Sed is priusquam Regno potiretur, tristem habuit exitum; nam cum ad Regem esset reducendus, sebus quidam oculis orbatum, et plumbo auribus infuso, ad solium ineptum reddidit. Quo viso Rex, filius quoque Ladislai Calvi male metuens, persvasit, ut, si saluti suae consultum vellent, Hungariam desererent. (a) Illi in Bohemiam primum, inde in Poloniam se contulere. Stephanus autem, cum morbo laboraret,

(a) Thurutz. P. 2. C. 33.

Petrum sororis suae filium, quem jam pridem exercitui suo Ducem praefecerat, successorem designavit, magno suo periculo; nam quatuor aulae ministri, exterum sibi Regem imponi, aegre ferentes, in ipsius Stephani necem conspirarunt, quorum unus ad aegrum, et jacentem vespere clam ingressus, gladio, quem sub veste gerebat, cum sonitu in terram delapso, et voce Regis perturbatus, supplex ad pedes ejus cecidit, et precibus, facinoris, quod conceperat, veniam impetravit: reliqui justa sententia, supplicium dederunt. (a)

Designato successore, Stephanus, cum morbus ingravesceret, praecipuos Regni Primores ad se vocatos, gravi oratione, ad Religionis Christianae, aequitatis, et concordiae studium cohortatus, oculis et manibus in coelum sublatis, se, et Hungariam Deiparae patrocinio commendavit, atque ipsa die Assumptioni B. M. V. sacra A. 1058. ad Deum excessit. Corpus ejus Albam Regiam delatum, et in media Dei Genitricis aede tumulatum est. Hungari triennio, quo toto choreae prohibebantur, Regem optimum luxerunt. Illam subinde, regnante S. Ladislao, Gregorius VII. Pontifex A. 1085. Sanctorum fastis adnumeravit. (b)

(a) Hartvicus l. c. p. 424. (b) Idem ibid.

Petrus Rex II. ab A. 1038.—1041.—3.

§. 1.

Vix Regnum adeptus, quod Giselam S. Stephani viduam indigne tractaverit, et contentis Hungaris, Italos, atque Germanos ad praecipuos honores evexerit; odium Hungarorum incurrit.

Petrus Ottonis Urseoli Venetiarum Ducis, ex Gisela S. Stephani sorore filius, quorum beneficio solum adeptus erat, spem mox in principio fefellit. In viduam S. Regis iniquus, dotalia ei bona, cuncta ademit, et in arcem quamdam relegatam omnium aditu prohibuit. Huic quidem Hungari, Rege etiam invito, pristinam libertatem restituerunt: Petrus aliam offensio- nis causam dedit; neglectis enim Hungaris, Italis se penitus, atque Germanis addixit, hos fovere, horum consiliis uti, hos praecipuis dignitatibus admovere; minari autem illis, si, ut fecerunt, porro queri pergerent, tot se evocaturum exteros, ut terras omnes, et honores ii soli, exclusis indigenis obtineant. (a)

§. 2.

Quapropter cum expeditionem in Bavariam suscepisset, absens exauctoratus, et Samuel Aba Palatinus, affinis S. Stephani, Rex creatus est.

Crecebant inde Hungarorum in Regem odia, quae ut eluderet copias in Bavariam duxit,

(a) Thurocz. P. 2, C. 33.

Bretislao Bohemiae Duci adversus Henricum III. Caesarem opem laturus Absenti Optimates dignitatem abrogarunt, et Samuelem Abam Stephani affinem, Palatii Comitem A. 1041. Regem crearunt. Reversus ab expeditione Petrus, illi resistendo impar, cui hostem se paullo ante praebuit, Caesaris clementiam exoravit. (a)

Samuel Aba Rex III. ab A. 1041.—
1044.=3.

Samuel in plebem benignus, in Optimates, et Nobiles Petro iniquior, et crudelior fuit. Igitur revocatus est ex Germania Petrus, qui opera Henrici III. Caesaris Samuelem vicit, et occidit.

Samuelem plebs Abam, vel Obam a pietate, et clementia vocavit; ad illius enim societatem se paullo post applicuit, in Optimates, et Nobiles Petro etiam iniquior, crudeliter saeviens, in primis quos illi favisse suspicabatur. (b) Id imprudenti perniciosum, Petro postea utile fuit; hujus enim gratia Caesar semel iterum, ac tertio Hungariam infestis armis petiit. Inimicum Oratores Hungari primum placavere, nec Petro, neque Samueli addicti Secundo Samuel ipse, missis muneribus, et promissa parte Austriae, ultra Leitham sita, ad reditum eum permovit. Sed cum

(a) Hermannus Contractus ad A. 1040. Pray Anal. P. 1. p. 44. et 45. Thurocz. P. 2. C. 36.

(b) Biogr. S. Gerardi. Pray l. c. p. 46. et 47.

datam fidem non exolveret, saeviretque magis in suos; multi Nobiles in Germaniam evasere, Petrumque Regno restitui petiere, Rediit igitur Caesar, et praelio ad Jaurinum commisso victor, Petrum Albam Regiam deductum, in solium reposuit, qui Samuelem e fuga retractum, ne sibi deinceps molestias conficeret, obtruncari jussit, et in monasterio Saar, quod condiderat, sepeliri (a)

Petrus restitutus ab A. 1044. —
1046. = 2.

§. 1.

Petrus Regno restitutus, nihil melior quam antea, Hungariam jure fiduciario Henrico III. Caesari subdidit.

Quam Caesar Petrum inter, ac Hungaros stabilivisse videbatur concordiam, sincera non fuit. Neque id Regem fugiebat. Quare securitatem sibi paraturus, sequente anno Caesarem, specie honoris, re ipsa ut, quam ad ipsum profugus, fidem ei dederat, exolveret, in Hungariam vocavit, splendideque Albae Regiae accepto, praeter alia munera, Hungariam, symbolo deauratae lanceae usus, jure fiduciario obtulit. (b)

(a) Lambert. Schaffn. Chron. August. et Hermann. Contr. apud Katon. T. 1. p. 662. Thurocz. P. 2. C. 37. Bonfin. Dec. 2. L. 2. (b) Hermann. Contr. apud Katon. T. 1. p. 675. Thurocz. P. 2. G. 38.

§. 2.

Quare offensi Hungari, Andream Ladislai Calvi filium, ex Russia accersitum, Regem dixerunt.

De illata eo facinore nationis libertati injuria palam conquesti plurimi, Csanadinum confluent, collatoque inter se consilio, Ladislai Calvi filios ad solium accire decernunt. Horum medius Bela, quod Pomeraniae Ducem singulari certamine prostravisset, a Micislao II. Poloniae Duce filiam cum dote tributi Pomeranici obtinuerat: Andreas, et Leventa se in Russiam contulerant. Ad hos igitur Hungari clam legatos in Russiam mittunt, Regnumque Andreae offerunt. Rei periculi plenae ut primum Petro indicium ab exploratoribus factum est, in omnes, quos nancisci poterat, crudeliter saeviit, aliis ad Andream, in limitibus jam haerentem confluentibus, quem Csanadinum primo, inde Pesthinum deduxere. (a)

§. 3.

Antequam coronaretur Andreas, auctore Vatha, gravis seditio, orta est, qua magnus Christianorum numerus perivit. Petrus oculis orbatus, et Albae Regiae in carcerem conjectus est.

Hic Vatha quodam, homine nocentissimo, Duce usi, quid animo destinassent, planius An-

(a) Thurocz. C. 39. Biogr. S. Gerardi C. 19. Kastona T. 1. p. 685. Pray Hist. T. 1. p. 49.

deas declarant: non se adversus Petrum dimicafuros, nisi abolita Religione Christiana, et advenis neci traditis, avita sacra restitueret, gentique Hungaræ, ut pristinis moribus vivere liceat, indulgeret. Qui quidem cum intelligeret, reprimi concitatam multitudinem non posse, dissimulandum censuit, quod non potuit prohibere, certus animi, se, ubi imperium adeptus fuerit, oportunum malo remedium allaturum. Illi silentium ejus, consensum interpretati, passim in Christianos, præ primis Sacerdotes, advenas, et Hungaros Petri asseclas caedibus grassari, templa diruere, sacra omnia profanare. Perit in hoc tumultu cum duobus Episcopis S. Gerardus Csanadiensium Antistes, e monte, qui Pesthino imminet, in Danubium præceps actus. Petrus se præcipue ad caedem destinari existimans, dum in Austriam elabi vult, a seditiosis circumventus, oculisque orbatus, Albae Regiæ in carceres conjicitur A. 1046. ab obitu Quinque ecclesiis in Chathedrali, quod extruxerat, templo tumultatus. (a)

Tantam duorum hominum imprudentia, et crudelitas rerum commutationem produxit!

Leges a Petro latas fuisse aliquas, testantibus Scriptoribus, in comperto est: eas Samuel abolevisse traditur: (b) neque ulla alia ad nos pervenit earum notitia. Idem de Samuelis constitutionibus, quas vel Petrus, vel alter successorum antiquaverit, sentiendum.

(a) Thurocz. C. 39. 40. et 41. (b) Idem P. 2. C. 36.
Simon de Keza L. 2. C. 2.

Neuter Regum superstitionis ethnicae argui potest; religionis tamen diversitas, mox ab obitu S. Stephani, factiones fovit, dum tandem malum, auctore Vatha, erumperet.

Etsi Petrum litteris institutum fuisse, dubitari nequeat; nullam tamen, turbatis rebus, bonarum artium curam fuisse, facile perspicitur.

Andreas I. Rex IV. ab A. 1046.—1061.=15.

§. 1.

Albae Regiae inauguratus, seditionem Vathaianam gravi Edicto compressit. Henricum III. Petri causa inimicum, quem benevolentia placare non potuit, armis, et Zothmundi militis arte ex Hungaria excedere coegit.

Andreas I. Ladislai Galvi ex Anonyma Russa filius, a tribus, qui seditiosorum manus evasere, Episcopis Albae Regiae sacro diademate insignitus, cum animadverteret, quantum seditio Vathaiana tam sacrae, quam profanae Reipublicae nocuerit; auctores illius undique conquistos, supplicio addixit, gravique edicto statuit: qui ad pristinos gentis ritus transiissent, Christiana sacra continuo amplecterentur; secus pervicaciam poena capitis luerent. Obsequentes omnes habuit, tempestasque periculosa resedit, velut si venti se posuissent. (a)

(a) Andreae I. Edictum in Corpore Juris Patrii Thuroez. P. 2. C. 42.

Inde ad placandum Caesarem curas convertit; non dubitavit enim, illum, Petri causa, Hungariae inimicum fore. Irriti fuere conatus. Hungariam quippe semel, iterum, ac tertio la-
cessivit; sed suo damno, et periculo. Quas pri-
mas dimiserat copias, communitis limitibus,
Hungari aditu prohibuerunt: alias, spoliis onu-
stas, dum Germaniam repetere vellent, excussa
praeda clade adfecerunt. Spreta etiam Leonis
IX. Pontificis auctoritate, ipse demum adduxit
exercitum, et Pósonium operibus clausit. Sed
infectis rebus, cum damno discessit; nam et ob-
sessi locum fortiter tuiti sunt, et naves, quibus
annonam devexerat, Zothmundus miles noctu
clam perforatas, aquis mersit. (a)

Finem tandem molesto sibi bello fecerunt.
Andreas partem Austriae, quam se cessurum Cae-
sari, Samuel pollicitus erat, in ejus potestate
permisit: Caesar nihil sibi in Hungariam juris es-
se, declaravit, filiamque teneram Regis filio Sa-
lomoni despondit. (b)

§. 2.

*Postquam filium Salomonem inauguran-
dum curasset; quod fratri suo Be-
lae, cui Regnum antea promiserat,
insidias struxerit, ab eodem victus,
occubuit.*

Pacis fructus, domestici motus intercepe-
runt, quos fraternae produxerunt discordiae. E

(a) Hermann. Contr. apud Pray. Annal. P. 1. p.
52—56. Thurocz. P. 2. Cap. 43. Aloldus ad
A. 1052. Pray l. c. p. 58.

Polonia evocatum Belam, Andreas tertiae parti Hungariae praefecit, Ducis titulo, solium quoque a sua morte consecuturum, pollicitus; quia filio tum adhuc haerede caruit, quem postquam uxor Anastasia, Jaroslai Magni Ducis Russiae filia, in lucem edidit, mutato consilio, infantem coronandum curavit, rem aequo satis animo ferente Bela; nisi brevi malevoli, concordēs adhuc fratres, mutua insidiarum suspicione implevissent. Bela a fratre, qua in Salomonem esset voluntate, pertentatus, cum insidias sibi fuisse structas, intelligeret, in Poloniam evasit, obtentisque a Boleslao auxiliis redux, conserto prope Tibiscum praelio, Andream, sociosque Germanos, quos Henricus IV. Caesar miserat, superavit; nam multi Hungarorum, in ipso pugnae fervore, ejus castra sunt secuti. Andreas equo forte excussus, pugnantium pedibus protritrus est A. 1061. supultus in monasterio Tyhoniensi, quod ipse condiderat. (a)

Aliud monasterium erexerat Visegradi, ut plures essent, qui Religioni Christianae stabilendae operam darent; tantam enim cladem Vathaianorum, furor eidem intulit, ut non raro homines rudes expertesque litterarum, ad rem sacram curandam adhiberentur. Ex quo simul intelligas, quo loco inter tantos belli strepitus bonarum artium studia fuerint. (b)

(a) Thurocz. P. 2. C. 44. Lambertus Schaffn. ad A. 1061. apud Pray l. c. p. 62. (b) Pray Hist. T. 1. p. 58. Biogr. S. Gerardi.

Ex uxore Anastasia suscepit Andreas Salomonem, et Davidem filios; tum Adelheidem Vratislao Bohemiae Duci, et Anonymam Henrici III. Caesaris filio desponsatas.

Bela I. Rex V. ab A. 1061. — 1063. = 2.

§. 1.

Insigni benevolentia Hungaros sibi conciliavit, eos etiam, qui cum Salomone in Germania aberant. Rerum venalium pretia descripsit; mensuras, et pondera definivit; fora publica haberi praecepit; rem numariam in ordinem redegit.

Bela I. Andreae frater, a suis successoribus Rex salutatus, cum intelligeret, nullum esse imperium totum, nisi benevolentia munitum: nulli oporae, neque sumtibus ullis parcendum esse putavit, ut nationem suam sibi redderet, facilius ita vim Henrici Caesaris superaturus, si quid Salomonis caussa moliretur; ad illum enim paulo ante pugnam a patre missus fuerat. Itaque vectigalia imminuit, et qui Salomonis gratia in Germaniam abiverant, non modo impunes fore declaravit, si redierint; verum etiam pristina bona, dignitatesque retenturos. Qua clementia multos allexit, ut redirent, sibi que morem gererent. (a)

Idem rerum venalium descripsit pretia; mensuras certas, ac pondera determinavit, et ut in

(a) Thurocz. P. 2. C. 45

oppidis, ac civitatibus, quibusvis hebdomadis, fora publica haberentur, praecepit. Rem denique numariam ad meliorem normam reduxit, ejusmodi numis ex argento procutis, ut quadraginta unum aureum Byzantinum valore aequarent. (a)

§. 2.

Occasione comitiorum, Albam Regiam indictorum, plebem tumultuantem, et ritus ethnicos reducere volentem, prudente severitate coercuit.

Inter haec nova in ipsis Regni visceribus erupit seditio, Vathaianae similis. Indixerat Rex comitia Albam Regiam, illata tempore dissidiorum Religioni damna, communi cum Episcopis, et Primoribus deliberatione reparaturus. Binos ex quibusvis locis, ipsis adeo pagis, qui aetate, et consilio caeteris praestarent, adesse jussit, quae decernerentur, reliquis domi annunciaturus. Ingens hominum nec vocatorum multitudo confluit, et vix inchoata deliberatione, ut sibi ritu patrum vivere liceret, non sine minis postulavit. Rex periculum conspicatus, se post triduum responsa daturum, edixit, interea quae ad comprimendum tumultum in primis valerent, prudenter constituit. Itaque plebe, elapso triduo, postulata repetente, non praevisus ex omni parte miles erumpit, auctores mali obtruncat, alios ligat, verberibus caedit alios, reliquos dissipat, atque ita tranquillitatem restituit. Tum vero

(a) Thuroez. P. 2. C. 45.

Bela, renovato Andreae Edicto, superstitionem ethnicam in perpetuum profligavit. (a)

§. 3.

Bello cum Ernesto Austriae Marchione, Salomonis caussa gesto, infelix, Dömösini inter consultandum domus, vel solii ruina oppressus est.

Sed nondum suae, suorumque posterorum securitati satis consultum putavit, dum Salomon cum praecipuis, Nobilibus apud Ernestum Marchionem in Austria moraretur. Armis igitur agere decrevit, ut vel Salomoni spem omnem successione praecideret, vel ad tradendum sibi aemulum Marchionem cogeret. Ipse copias in Austriam duxit, verum ab Ernesto non sine clade rejectus est. Inde bellum in Hungariam translatum, perrupti, quos Bela munierat, aditus, et Mõsonium ab amicis Salomonis captum. Rex cum de novo milite legendo Dömösini consultat, domus, vel, ut alii malunt, solii ruina oppressus, brevi vivere desiit. A. 1065. sepultus Sexardini in Abbatia S. Salvatoris, quam ipse condiderat, ut clamantem fratris sanguinem, ex opinione vulgi, placaret. (b) Breve ipsius, quamvis praestantissimi Principis, regimen argumento est, vix unquam diu posse retineri bona, quae violentis modis acquiruntur.

Ex uxore Richsa Micislai Poloniae Ducis filia reliquit: Geisam, Ladislaum, et Lambertum;

(a) Thurocz C. 46. (b) Aloldus ad A. 1062. apud Pray Annal. P. 1. p. 64. Thurocz. P. 2. Cap. 46.

filias autem: Jojadam desponsatam Wilhelmo Thuringiae, et post hujus mortem, Udalrico Carinthiae Marchioni, Euphemiam uxorem Ottonis I. Principis primum Znoimensis, deinde Olomucensis, Sophiam Lamberto Comiti Palatino Hungariae, et Lepam, aliis Helenam dictam, Zvoimiro Dalmatiae, et Croatiae Regi collocatam.

Nonnulli existimant, auctorem Anonymum, qui Historiam scripsit de septem Ducibus Hungarorum, hujus Belae Notarium fuisse.

Salomon Rex. VI. ab A. 1063.—1074. = 11.

§. 1.

Geisae beneficio Regnum consecutus, eundem, ob non servatam sibi fidem, cum fratribus bellum molientem, cessione tertiae partis Hungariae placavit.

Salomonem Andreae I. filium Geisae moderatio, et expers ambitionis animus, ad solium paternum evexit. Sed opinione citius eo fere exiit; nam a Vido Comite Batsiensi, pravi ingenii homine, in transversum actus, Geisae ejusque fratribus tertiam Hungariae partem, Ducatus titulo, quam paullo ante promisit, se collaturum negavit. Principes ergo Regii in Poloniam abiverunt, impetratisque a Boleslao II. Rege auxiliis reversi; rem praelio decreturi erant; nisi Episcoporum studio pax coaluisset, qua Geisa Ducis titulum, cum tertia Hungariae parte

adeptus, utilem deinceps operam cum fratribus suis Salomoni navavit (a)

§. 2.

Patruelium potissimum opera, et virtute Zvoimirō Croatiae Regi Marchiam, a Carenthanis occupatam, vindicavit. Damnum a Moravis Hungariae parti illatum, populatione Moraviae ultus est. Cumanos Duce Osul circa Samusium praedas agentes profligavit. Victis Graecis, Bulgaris, et Bissenis, Belgradum deditione accepit.

Primos Carenthanos, qui Marchiam a Croatia avulserant, superavit, amissamque ditionem Zvoimirō Regi Croatarum vindicavit A. 1066. Pari felicitate tertio post anno rem contra Moravos gessit, qui Trentsiniensem provinciam invaserant, illatum damnum populatione Moraviae ultus. (b) Anno 1070. Cumanos, quos Dux Osul e Moldavia adduxerat, citra, et ultra Samusium praedas agentes, difficili certamine vicit, excussisque spoliis in fugam egit (c) Graecis denique, Bulgaris, et Bissenis praelio superatis, Belgradum in tertium mensem obsessum, deditione accepit; quod Nicetas Belgradi Praefectus, Bisse-

(a) Lambertus Schaffn. ad A. 1065. apud Pray Annal. P. 1. p. 65. Cromerus L. 4. in rebus Boleslai II. Thurocz P. 2. C. 47. (b) Thurocz. P. 2. C. 48. Pray Hist. T. 1. p. 68. (c) Thurocz. P. 2. C. 49.

nos Savum mittere, vicinosque Hungariae agros vastare siviſſet. (a)

§. 3.

Cum a Vido homine improbo seductus, patruales e medio tollere decreviſſet; ab iis victus, Regnum amiſit.

Verum in diſiſione praedae, Belgradi acceptae, Regem inter, ac Duces diſcordiae natae ſunt: hae atrociae odia pepererunt. Rex indignum ſecutus conſilium, patruales e medio tollere decrevit. At hi evitatis inſidiis, inſtinum bellum accenderunt, et Regem ad Czinkotam victum, Regno depulerunt A. 1074. (b)

Geiſa I. Rex VII. ab A. 1074. — 1077. = 3.

§. 1.

Geiſa, urgentibus Regni Ordinibus, inauguratus, Henrici IV. Imperatoris, qui ſplendidis promiſſis illectus, Salomonem ſolio reſtituere volebat, vires; et impetum arte eluſit.

Geiſa I. Belae I. filius, relata de Salomone victoria, Albam Regiam deductus, urgentibus Regni Ordinibus, diadema ſuſcepit. At Salomon ab infelici pugna Moſonium primo, inde Poſonium veniens, ut ſolium reciperet, nihil inſtentatum reliquit. Verum nec Henrici IV. Caesa-

(a) Thurocz. Cap. 50. (b) Idem G. 50. 51. 52.

ris, quem promisso censu annuo, et fide clientis in Hungariam pellexerat, neque Leopoldi Austriae Marchionis auxilia profuere. (a) Gregorius vero VII. Pontifex ad se confugientem graviter per litteras reprehendit; quod Imperatori obtulisset regnum, Romanae Ecclesiae, uti putabat, proprium. (b)

§. 2.

Sponte postea aemulo sceptrum redditurus erat; nisi hoc consilium matura mors interceptisset.

Interea dum a Ladislao Posonii Salomon obsideretur, Geisa Natalem Christi diem Sexardini celebrans, publica Desiderii Colocensis Episcopi, de pace, et concordia oratione motus ad restituendum illi Regnum, proam voluntatem declaravit, modo sibi, ac fratribus tertiam ejus partem, Ducatus nomine, tenere liceat. Qua de re dum per nuncios cum illo agit, lethali morbo correptus moritur A. 1077. Sepultus est Vacii in Basilica, quam ipse condiderat. (c) Desideratus, deploratusque ab omnibus, magnaque laude dignus, quod amicior patriae tranquillitati, quam suae fuerit dominationi.

Ex uxore Anonyma Colomannum, Almuque filios suscepit. (d)

a) Thurocz C. 53. et 54. (b) Pray Annal P. 1. p. 75. (c) Thurocz. P. 2. C. 55. (d) Idem C. 48. Ranzanus Indice 12.

S. Ladislaus Rex VIII. ab A. 1077. —
1095. = 18.

§. 1.

*Salomonem, etiam postquam de jure suo
cesserat, inquietum, Vissegradi in-
clusit; liberum dimissum, et Cuma-
norum opera Regnum recipere ten-
tantem, in Moldaviam rejecit; qui
cum Bissenis, et Cumanis Graecos
laccessens, a pugna in Bulgaria com-
missa videri desiit.*

Mortuo Geisa, Regnum procul dubio con-
secutus erat Salomon, nisi Proceres, variam
ejus indolem veriti, votis suis in Ladislaum, de-
functi fratrem conspirassent. Non minor tunc
Ladislai, quam antea Geisae, moderatio, et pacis
studium apparuit, coronam, ni Salomon consen-
tiret, abnuentis. (a) Sed hic, quamquam de jure
suo cesserit, ut vario fuit ingenio, paullo post
facti poenitens, insidias struxisse Ladislao, com-
pertus est. Quare Vissegradi, ne quid nocere
posset, in custodiam datus est A. 1082. ex qua se-
quente anno, cum Stephani I. et Emerici corpo-
ra e tumulo levarentur, liber dimissus, cum Re-
ge aliquamdiu egit. Ratisbonam deinde ad uxo-
rem abivit, a qua non, ut sperabat, acceptus,
post varios casus, ad Cumanos in Moldaviam
pervenit. Inde Cutescum Ducem, promissa ei,

(a) Pray. Annal. P. 1. p. 79. Thurocz. P. 2. C. 56.
Tomeus I.

si solium recuperaret, Transilvania, adversus Ladislaum vocavit, et usque Borsodiensem provinciam deduxit. Ibi Ladislaus in hostes incidit, et praelio victos, in fugam coniecit. (a)

In Moldaviam repulsus Salomon, cum Tzelgu Bissenorum Duce, et prioribus sociis, ad diripiendas provincias Graecas profectus, a pugna illic A. 1087. edita, videri desiit. Alii in praelio caesum scribunt; (b) alii, sumta monastica veste, Polae in Istria aetorum penitentem decessisse, perhibent. (c) Uxor illius fuit Juditha, Henrici III. Imperatoris filia, ex qua liberos non reliquit.

§. 2.

Ladislaus aemulo liberatus, post mortem Zvoimir Regis, Croatiam mediterraneam occupavit, ex qua reversus Cumanos, qui in Hungariam irruerant, semel, ac iterum profligavit.

Nunc demum Ladislaus majore studio Republicae commoda curare, illiusque fines adversus externos hostes tueri potuit. Croatiam, morte Zvoimir, cui soror Ladislai desponsata fuit, tum etiam Stephani Regum, turbatam, a Proceribus nonnullis, atque a sorore invitatus, compositisque turbis, Rex salutatus, Hungariae ad-

(a) Thurocz l. c. (b) Berthold. Constant. et Annalista Saxo apud Haton. T. 2. Hist. Crit. p. 504. (c) Simon de Reza L. 2. C. 4. Thurocz. l. c.

junxit, eidemque Almu fratris sui Geisae filium praefecit A. 1091. (a)

Maritimas etiam oras per idem tempus occupare volentem, revocarunt Cumani, qui per illius absentiam, Transilvaniam, et vicinas Tibisco regiones invasere. Eos praeda onustos, ex Croatia redux, maximam partem delevit, reliquos captos ad Christiana sacra adducere voluit. Id Cumani, qui domi manserant, ab uno suorum, qui e praelio evaserat, edocti, captivos cum minis repetunt, et repulsa irritati, in Hungariam irruunt, non meliore fortuna, quam priores; nam Acusum Ducem Ladislaus manu sua confodit, reliquis virtute militum caesis, aut profligatis. (b)

§. 3.

Contra fures, homicidas, Judicium in ferendis sententiis iniquitatem, et alia crimina severas leges tulit. Zagrabiae Episcopatum. Varadini insignem Basilicam, plures Abbatias, nominatim Dextrae S. Stephani fundavit. Episcopatum Batsiensem Archiepiscopatus titulo ornavit. Dux expeditionis Cruciatæ renunciatus, frui eo honore non potuit.

Ab hostibus securus Ladislaus, ad corruptos populi mores emendandos conversus, multa

(a) Thomas Spalat. Hist. Salon. C. 17. Lucius apud Schwandtnerum T. 5. p. 169. 170 Pray Annal. P. 1. p. 91. (b) Thuroez. P. 2. Cap. 57.

sapiënter, utiliterque legibus sanxit, quae tribus libris in codice Juris patrii continentur. Severissime agunt de furtis, quae nimium quantum invaluerant, et de patratoribus caedium; Judicibus item mulctas irrogant, qui in jure dicendo, a legum praescripto recessissent. (a)

Rem in primis sacram magna cura complexus, Zagrabiae Episcopatum, Varadini insignem Basilicam, pluresque diversis in locis Abbatias erexit, e quibus eminet Abbatia Dextrae S. Stephani, vulgo Szent Jobb dicta Episcopatum denique Batsiensem Archiepiscopatus titulo ornavit; sed is subinde cum Colocensi conjunctus, praerogativam huic cessit.

Memoriae proditum est, abrogata Henrico IV. dignitate, ab Ordinibus Imperii Germanici Ladislao diadema fuisse oblatum; sed hunc, ne curas dividere cogeretur, accipere renuisse. (b) Illud communibus Europae Principum votis concedendum erat, ut supremum in copias Cruce signatas imperium susciperet. Sed isto frui honore non potuit; nam dum in Bohemiam tenderet, ad sopienda dissidia, inter Conradum Ducem, hujusque cognatum orta, in itinere obiit A. 1095. tamulo illatus Magno Varadini. Hungari eum non solum in bello, sed etiam in pace diu desideraverunt, ac triennio luxerunt; nam virtutum S. Stephani summus imitator, non minus in rebus gerendis

(a) Decr. I. II. III. S. Ladisl. (b) Thurocz. F. 2. C. 59.

promptus, quam exegitandis erat. Regnante Be-
la III. Coelestinus III. Pontifex A. 1191. Sancto-
rum catalogo ipsum adscripsit.

Ex uxore Adelhaide, Rudolphi Rheinfelden-
sis Anticaesaris filia, suscepit Irenen Joanni
Comneno Imperatori Graeco collocatam. Prae-
ter hanc, duas ipsi filias quidam tribuunt: So-
phiam Magno Saxoniae Duci, et Berchtam Hart-
vico Comiti. Bavaro nuptui traditas. (a)

Colomannus Rex IX. ab A. 1095. —
1114. = 19.

§. 1.

*Cruce signatorum ad occupandam Pale-
stinam proficiscentium licentiam ar-
mis coercuit: alios, qui nihil damni
inferebant, per Regnum transmisit.*

Colomannus Geisae I. filius, vix Regni guber-
nacula capessivit, cum profectioni in Palestinam,
ut ab infidelium manibus vindicaretur, ex variis
Europae provinciis initium factum est. Alii aliis
viis, quinque agmina per Hungariam eo tetende-
runt. Cum tribus, quae praecesserant, quod cae-
dibus, rapinis, aliisque sceleribus grassarentur,
Colomanno armis fuit dimicandum: quarto trans-
itum negavit, et Mezeburgum, hodiernum forte
Ovarinum oppugnare ausum, magna cum clade
rejecit. Quintum, quod Godefridus Bullionius
adduxerat, postquam nullum se damnum populo

(a) Monachus Veingart. apud Katon. T. 2. p. 744.

illatarum promississet, non modo liberam profisciscendi facultatem, sed rerum etiam omnium, qua ibat, copiam a Hege obtinuit. (a)

§. 2.

*Croatas, qui semel, ac iterum defece-
rant ad officium revocavit, ac Dal-
matiam, et Bosniam juribus Coro-
nae asseruit. Svatopolco Russorum
Duci contra Volodarum Ducem Gal-
liciae opem ferens, cladem ad Pre-
misleam a Cumanis accepit.*

Dimissis Cruce signatorum copiis, Croatas, qui tempore utendum rati, Petro quodam Duce, res novas moliri coeperant, occiso Petro, ad officium revocavit, parte etiam, quae mari adjacet, in suam potestatem redacta A. 1096. (b)

Triennio post a Svatopoleo Magno Russorum Duce exoratus, contra Volodarum in Galliciam exercitum duxit, ubi cum Premisleam urbem obsiderat, David Volodari socius, cum copiosis Cumanis adveniens, noctu, contra adgressus, cladem ingentem Hungaris intulit, ut Rex ipse, nisi scutis suorum protectus, aegre necem evaserit. Ferunt hanc cladem inhumanum Colomanni facinus in uxorem Volodari Lancam, quam pro viro supplicem pede ab se abegerit, praecessisse. (c)

(a) Pray Annal. P. 1. p. 95.--97. (b) Keza L. 2. C. 4. Pray l. c. p. 95. (c) Thurocz, P. 2. C. 60.

Interea Croatiae male contenti Hungarorum imperio, ad vindicandam libertatem, A. 1102. iterum arma corripuerunt. Sed Rex citra sanguinis effusionem, oblati, quas cum honore accipere poterant, conditionibus, eosdem in fidem recepit: qua tempestate in Dalmatiam quoque, et Bosniam pristina Croatarum, et cum his sua jura vindicavit. (a)

§. 3.

Leges partim novas tulit, partim a decessoribus latis illustravit, et mutatis temporum adjunctis accommodavit

Legislatoris quoque gloria Colomanno debetur; nam convocato A. 1100. Episcoporum et Optimatum concilio, partim novas leges tulit, partim a decessoribus suis latis illustravit, mitigavit, et mutatis iam temporum adjunctis accommodavit. Eae duobus libris comprehensae, singularem Colomanni et prudentiam, et humanitatem loquuntur. Judicium, quod Synodale appellatur, bis annis singulis in quovis Episcopatu celebrari praecepit. Judicium ferri candentis, et aquae bullientis, ad solos Episcopatus, et Majores quasdam Praeposuras restrinxit. Sacris Ordinibus admoveri quemquam, nisi continentiam voveret, prohibuit. Servum Hungarum, vel in

(a) Ad calcem Hist. Salon. apud Schwandtn. T. 3. p. 654. Luc. L. 3. C. 3. et 4. L. 6. C. 4. apud Schwandtner. T. 3.

Hungaria natum ad exteras regiones vendi, Judaeis Christiana mancipia mercari, aut eadem ad agros colendos adhibere, de strigis, quae non essent, quaestionem fieri vetuit. (a)

§. 4.

Almum fratrem discordem, jam a Germanis, jam a Polonis auxilia corrogantem, semel, ac iterum in gratiam recepit: postea una cum filio Bela oculis orbavit, ne filio suo Stephano nocere posset.

Tam praeclarum Regem, a commodis suorum procurandis, semel, ac iterum dissidia fraterna evocarunt. Revocatam enim A. 1096. ad officium Croatiam ab Almo, quem ei S. Ladislaus praefererat, recepit, tertia tamen parte Hungariae, Ducatus titulo, eidem collata. Decennio fere integro magna animorum consensio inter fratres constitit. Sed postquam Colomannus Dalmatiam quoque juribus Hungaricis asseruit; Almus dolorem indicio quodam forte prodidit, se Regno Croatiae, nunc Dalmatia aucto, tam facile decessisse, cumque summam rerum ibi tenere potuisset, nunc fratri esse parendum. Id satis erat adsentatoribus ad excitandas, injectis suspicionibus, gravissimas inter utrumque discordias. Colomannus quidem Almum jam a Germanis, jam a Polonis auxilia corrogantem, semel, ac iterum in gratiam recepit; sed metu tandem, ne filio suo Regnum eriperet, stimulatus, et ab

(a) Decr. I. et II. Colomanni.

improbis hominibus seductus, eundem una cum filio Bela oculis orbari jussit. Ita laesa vehementer fama, in morbum incidit, ex quo A. 1114. decessit, sepultus Albae Regiae. (a) Ut naturam faultricem habuerat in tribuendis animi virtutibus: (b) sic maleficam nactus est in corpore. (c)

Ex priore conjugē Busilla, Rogerii Siciliae Comitis filia, gemellos suscepit: Ladislaum in infantia exstinctum, et Stephanum haeredem Regni. Alteram uxorem duxit Bretislavam, Svato-polei Magni Russorum Ducis filiam, quam turpissime contaminatam, mature Kioviam remisit, ubi Borichium peperit, magnas olim turbas Hungariae daturum.

Stephanus II. Rex X, ab A. 1114. —
1131. = 17.

§. 1.

Dalmatiam a Venetis occupatam, excepta Jadra, et insulis recuperavit. Austriacos damno suo lacessivit. Jaroslai Lodomeriae Ducis caussa, expeditionem in Russiam inutilem suscepit. Cum Graecis quemadmodum levi de causa, ita infeliciter bellum gessit.

Stephanus II. Colomanni filius, tres supra decem annos natus, patrem in solio excepit, cu-

(a) Thuroez P. 2. C. 60. — 62. (b) Albericus in Praef. Decret. Colomanni. Cornides. Geneal. p. 104. — 106. (c) Thuroez P. 2. C. 60.

jus tenera aetate in Reipublicae commodum usus Ordelafrus Phaledrus Venetorum Dux, fuis Hungarorum copiis, biennii spatio totam ferme Dalmatiam, et portus Croatiae ab Hungaria avulsit; sed retinere non potuit; nam postquam copiae Hungaricae majore numero provinciam subiissent, ipso Duce Veneto in praelio caeso, excepta Jadra, et insulis, universam recuperarunt (a)

Confectis in quinquennium cum Republica induciis, Wladislaum Bohemiae Ducem ad fines Hungariae Stephanus invitavit, ut amicum sibi eum adjungeret. Adfuit brevi Bohemus, Rege etiam nostro eo veniente, justo fere exercitu, uti et Bohemus erat, instructo. Sed mutua insidiarum suspitione ambo impleti, ad arma devenerunt, et pari fere accepto damno, odium pro amicitia retulerunt. (b)

Rex a Bohemis male mulcatus, ut alibi damnum repararet, nulla oblata caussa, Austriam semel, iterumque vastavit. Reddidit vicem Leopoldus Austriae Marchio, factaque cum Bohemiae Duce societate, Hungariae infusus, everso Castro ferreo, et vicinam ei ditionem populatus, damnum suis illatum, cum foenore compensavit. (c)

Expeditionem vero in Russiam, Jaroslai Lodomeriae Ducis caussa, quem Wladimirus Dux Kieviae provincia sua depulerat. A. 1127. susceptam inanem reddidit Ducum quorundam Hungarorum

(a) Lucius L. 3. C. 5. apud Schwandt. T. 3. (b) Thurocz. P. 2. C. 63. Dubravius Hist. Bohem. L. 11. (c) Pray Annal. P. 1. p. 116. et 117.

pertinacia; Rege enim Hiioviam obsidente, illi negarunt se passuros, ut suorum sanguis, citra ullum Regni commodum, exterorum cassa, fundatur. Cessit, metu, praeterquam oportebat, victus, et signa convelli jussit; verum tam graviter Domi in auctores seditionis animadvertit, ut modum etiam excederet. (a)

Almus, cognita Regis severitate, suo quoque capiti metuens, ad Imperatorem Joannem Comnenum, securitatis caussa, Byzantium se contulit, apud quem pro cognationis jure liberaliter habitus, ad finem vitae exul permansit. Rex ne profugum quidem sinens quiescere, ut finibus Imperii Graeci exigeretur, postulavit. Id cum negatum esset, bellum Graecis indixit, caussam tamen in cives Branizovae, quod Hungaros mercatores spoliassent, detorquens. Gestum est varia fortuna, et mutua provinciaram vastatione donec A. 1129. pacem aequis conditionibus pepigissent. (b)

§. 2.

Receptis in Regnum Cumanis, et coercita ambitione quorundam Procerum, Belam Almi filium successorem designavit.

Bello Graeco defunctus Stephanus, cum crebrius morbo laboraret, neque prolem ullam, aut ejus suscipiendae spem haberet; incessit quos-

(a) Thurocz. P. 2. C. 65. (b) Cinnamus, e 5. Choniates apud Stritterum T. 3. P. 2. p. 64. — 655.

dam Optimatum cupido Regni^g invadendi, quod eis a suarum partium studiosis offerebatur. Borsium, et Ivanum fuisse, Scriptores nostri tradunt, Utrumque conatus destituit; ut primum enim Rex convaluit, criminis convicto, hunc capite plecti, illum exilio mulctari praecepit. De successore deinde sollicito relatum est: Belam Almi filium in Pétsvaradinensi coenobio vivere; quo comperto, magna curarum parte levatus, ad se accersitum, et consortem regiminis declaratum, coronari jussit: tum vero ad extrema reductus, sumta monastica veste, A. 1131. vivere desiit, sepultus Varadini. (a)

Illo regnante, Cumani a Joanne Comneno A. 1123. in Thracia victi, in Hungariam venerunt, jure civitatis a Stephano, et regione illa, quam Cumaniam Minorem vocamus, donati. (b)

Idem Rex, ut Religionis Christianae auge-
ret praesidia, pro Ordine Praemonstratensium
Varadinensem Praeposituram fundavit. (c)

Uxorem habuit Adelhaidem, Henrici Land-
gravii de Stephaning filiam, ex qua liberos non
suscepit.

(a) Thurocz. l. c. (b) Idem. (c) Diploma Ula-
dislai II. A. 1494. Pray Hist. T. 1. p. 129.

Bela II. Coecus Rex XI. ab A. 1131.—
1141.=10.

§. 1.

Post exhibitam in comitiis Aradinensibus, auctore Helena Regina, in Almi inimicos severitatem, Borichium Bretislavae filium, quum Polonorum, Russorumque auxilio Regnum invasisset, semel, ac iterum profli-gavit.

Bela II. Coecus Almi Ducis filius, conciliata sibi Bohemiae Ducis, et Austriae Marchionis amicitia, Aradinum comitia indixit, ad quae praeter incredibilem Ordinum frequentiam, Helena quoque Regina comparuit, quae de mariti coecitate conquesta, qui ejus causa essent, ut palam judicati, meritas poenas darent, postulavit. Muliebri, quam dolor expresserat, eloquentia permoti plurimi, in praesentes quosdam Regni Barones, et Nobiles, quorum odia in Almum, et Belam cognita fuere, violentas manus injiciunt, alios illico trucidant, in carceres compingunt alios, et criminis convictos, vario mortis genere, durantibus comitiis, e medio tollunt (a)

Inde bellum periculosum quidem, exitu tamen felix natum est. Nam qui caesis cognatione fuere conjuncti, Borichium Bretisla-

(a) Thurocz. P. 2. C. 64.

vae, alterius uxoris Colomanni, filium ad solum capessendum vocaverunt. Hic accepta in matrimonium Byzantii Joannis Imperatoris cognita, Russorum et Polonorum Duces ad suas partes detrahit, adjutusque eorum copiis Scopusiensem provinciam invadit. Bela ad Sajonem annem aemulo occurrit, et priusquam praelium committeret, praesentes Optimates interrogat: quid de Borichii natalibus sentirent? Alii illegitimo thoro natum dixerunt: alii rem esse dubiam: alii denique filium esse Colomanni. Quo indicio, satis proditi qua in Regem, et Borichium essent voluntate, quidam illico caesi sunt: aliqui in Regem forti praesidio septem non ausi irruere, ad hostium castra profugerunt. Pugna deinde conserta, adversarii victi et cum clade rejecti sunt A. 1132. Neque anno sequente Borichius, cum idem iterum moliretur, felicior fuit. (a)

§. 2.

Reliquum regimen tranquillum, et in suis negotiis praeclaram adjutricem Helenam uxorem habuit.

Rejeto aemulo, reliquum regimen Bela domi, et foris quietum habuit: jaecturam luminis prudentia, pietate, et aequitate egregie sarsit. Regnum Bosniae sacrae coronae aetius adjunxit, in suis negotiis praeclaram adjutricem nactus Helenam excelsi animi matronam, qua A. 1139. e vivis sublata, ut caecitatis taedia levaret, vino

(a) Thurocz. *ibid.* Fray *Annal.* P. 1. p. 126.

largius uti coepit, unde hydropis malo adfectus, A. 1141. obiit. Albae Regiae tumulatus (a)

Ex uxore Helena, Urosii Serviae Principis filia, tres filios reliquit: Geisam, Ladislaum, et Stephanum: quartus Almus praemortuus est; duas item filias: Sophiam Henrico Conradi III. Imperatoris filio desponsatam, quae, quoniam sponsus obiit, priusquam nuptiae coaluissent, in Admoatensi Sacrarum Virginum coenobio vitam sancte finivit, tum Gertrudem Micislao Poloniae Duci collocatam.

Geisa II. Rex XII. ab A. 1141. —
1161. = 20.

§. 1.

Receptis in Transilvaniam Saxonibus, Austriacos, qui a Borichio stimulati, Posonium occupaverant, clade adfecit. Postea propter Blachinum Serviae Principem, a Graecis ad Hungaros deficientem, et ob Andronicum Manuelis cognatum, ad Imperium adspirantem, duplici cum Graecis bello implicitus est, in quorum altero Borichius perivit.

Geisa II. Belae Coeci filius, altero statim, ae tertio regiminis anno novas ex Flandria, Saxonia, et Germania Superiore in eam Transilvaniae partem, quam decessorum suorum tempore Cumani, et Bisseni vastam reddiderant, ut fre-

(a) Thuroez. P. 2. C. 64.

quentiorem eam faceret, colonias deduxit; quarum studio artes, et opificia sensim incrementa acceperere, in primis autem fodinae, a temporibus Romanorum fere neglectae, diligentius cultae sunt.

Inter haec Borichius apud Manuelem Comnenum, et Conradum III. opem contra Geisam nequidquam quaerens, nobiles Austrios, ut Hungariae infesti essent, pecunia permovit. Illi clam Regnum ingressi, Posonium, circumvento per fraudem Juliano arcis Praefecto, occupavere. Id tamen facinus impune non fuit; postquam enim Geisa, persoluto trium millium librarum auri pondere, Posonium recuperasset, Leitham transgressus, vicina Austriacorum aedificia incendit, occurrentemque sibi Henricum Marchionem, post concertum alternante fortuna praelium, eo angustiae redegit, ut aegre periculo subduceretur. (a)

Hostilitatem cum Austriis exercitam, duplex bellum Graecum excepit. Priori Blachinus Serviae Princeps, a Graecorum clientela ad Hungaros deficiens; alteri Andronicus Manuelis cognatus, qui ad Imperium adspirans, magnis promissis Geisam ad suas partes adduxerat, occasionem praebuere. Utrique interfuit Borichius; verum priore, cum occupato a Graecis Semlino, Temesinum venisset, aegre periculum evasit: altero postquam Geisa prope Belgradum ingenti clade Manuelis Ducem adfecisset, a proprio milite Cu-

(a) Otto Frising L. 1. C. 52. de rebus Friderici. Thuroez. P. 2. C. 65. Pray Annal. P. 1. p. 152.—135. mano

mano sagitta transfixus interiit; Rex vero, restituta, quam ultra Savum occupaverat, regione, pacem cum Imperatore inivit. (a)

§. 2.

Fraternis dissensionibus, Stephani ambitione concitatis, immortalis est.

Interea Stephanus Regis frater fervido ingenio juvenis, laudibus, quas assentatores tribuebant, captus, coronam palam ambire coepit. Geisa animadverso ejus conatu, Sirmio ipsum, quod a patre acceperat, ac alterum fratrem Ladislaum Bosnia privavit, Illi poena magis offerati, ad Manuelem primo, tum ad Fridericum I. Imperatorem et ab hoc Geisae muneribus delinito, iterum ad Manuelem confugere. Inde oriturum bellum A. 1161. Geisae matura mors interceptit. Sepultus est Albae Regiae. (b)

Ex uxore Euphrosina, Minoslai Russiae Principis filia, suscepit: Stephanum, Belam, Arpadum, et Geisam; filias autem: Helenam Leopoldo Austriae, Elisabetham Friderico Bohemiae Ducibus, Margaretam Andreae Comiti Simeghien-si, Odolam Syatoplueo Wladislai Bohemiae Regis filio nuptui traditas.

(a) Cinnamus, et Choniates apud Stritterum T. 3. P. 2. p. 641. — 651. (b) Radevicius de rebus Friderici I. L. 1. C. 12. Pray Annal. P. 1. p. 146.

Stephanus III. Rex XIII. ab A. 1161.
1173.=12.

§. 1.

Agente Manuele Imperatore, qui Hungariam sibi obnoxiam facere volebat, de solio deturbatus; verum post breve patruorum suorum Ladislai II. et Stephani IV. regimen eidem restitutus est.

Stephanus III. Geisae II. filius, quid patri sui Ladislaus, et Stephanus, ad Manuelem nuper profugi, Byzantii adversum se molirentur, non ignarus; cum sciret praeterea, tutissimum esse imperium benevolentia munitum: ut tanto arctius Hungaros sibi adstringeret, dum ab obitu patris Albae Regiae inauguraretur; Regnum universum a vectigalibus, triennio integro, liberum fore pronuntiavit. Neque tamen ea elementia, et liberalitas periculum, quod impendebat, avertit. Manuel enim Imperator; credens, obnoxiam sibi fore Hungariam, si Stephanus Regis patruus solium suo beneficio consequeretur: per legatos primum cum Hungaris agit, ut a Rege, quem non pridem adsciverant, deficientes, coronam illius patruo traderent; hunc alioquin injuria Regno esse privatum; more enim gentis, praeponendos esse fratres Regum eorundem filios. Cum vero legati, re infecta, rediissent; Stephanum, cujus causam agebat, cum Duce suo, et exercitu in Hungariam dimisit, qui blanditiis, largitione munerum, armorum de-

nique ostentatione rem eo adduxere, ut Hungari desertis Stephani III. partibus, Ladislaum Regem pronuntiarent, illique successurum Stephanum fratrem, promitterent. (a)

Ladislaus II. Rex XIV. ab A. 1161.—
1162. = $\frac{1}{2}$.

Ladislaus II. Belac II. filius, non ultra sex menses rerum potitus, nulla re memorabili gesta, A. 1162. vivere desiit. Ex uxore Anonyma Mariam filiam suscepit, quam postea Stephanus III. Nicolao Arbensi Comiti collocavit.

Stephanus IV. Rex XV. A. 1162.

Stephanus IV. Ladislai II. frater, quinque tantum mensibus Regno praefuit; cum enim imperiosius ageret, quam tempus pateretur; ut primum Manuelis copiae, quas, adversantem sibi factionem oppressurus, evocaverat, in Graeciam rediverunt: plurimi Graecorum clientem aversati, ad Stephanum III. cum amicis Posonii se tenentem confluerunt, qui pugna victum patrum ad Manuelem fugavit, soliumque recuperavit. (b) Stephanus IV. ex Maria Isaacii, qui Manuelis frater erat, filia, liberos non suscepit.

(a) Cinnamus, et Choniates, apud Stritterum l. c. p. 653.—655. (b) Idem, et Thurocz. P. 2. C. 67. et 68.

Stephanus III. restitutus.

§. 2.

Fratre suo Bela, spe Imperii Graeci olim obtinendi, Byzantium misso, quatuor cum Manuele bella gessit, et Sirmium, Dalmatiamque amisit, quas provincias Manuel, Belae haereditatem esse praetexens, occupavit.

Stephani IV. casus magnopere quidem Manuelem perculit; cum tamen abhorrere ab eo Hungaros intelligeret: Belam Stephani III. fratrem, in spem Imperii Graeci educandum, quod ipse filio haerede adhuc caruerit, per legatum postulavit, eique Rex, nihil hic doli subesse ratus, morem gessit. (a)

Sed dolum hic latuisse, specie amicitiae occultum, mox apparuit; nam Manuel et Stephano IV. jacturam Regni iniquo animo ferenti, copias dedit, quibus contra Regem uteretur, et, eo rejecto, ipse brevi Petrovaradini adfuit, nec prius inde abcessit, quam Sirmiensem provinciam, Belae futuro suo genero, a patre, uti dicebat, haereditate relictam obtinisset, ipse vicissim pollicitus, non se amplius Regis patruo auxilio fore. (b)

Homo callidus pactis non stetit eodem Stephano IV. cum parte exercitus in Hungaria relicto. Igitur Rex provinciam Sirmiensem revindicavit, et patrum Semlini obsedit, qui durante

(a) Cinnamus, et Choniat, l. e. p. 657. (b) Ibid. p. 659. — 662.

obsidione, ex venae sectione obiit. Ejus mortem, uti fingebat, ulturus Manuel, cum exercitu reversus, amissa recuperavit, et facta pace, Byzantium se contulit. (a)

Non multo post, Dalmatiam quoque ad Belae haereditatem pertinere adfirmans, occupavit. Inde enatum bellum, cum neutri quidpiam commodi ex eo accederet, induciae studio Henrici Austriaci factae diremerunt. (b)

Verum his haud multo post violandis, causam Dalmatae praebuere, Graecos pertaesi, Hungaris se adjunctes. Sed ista conjunctio diuturna non fuit; adversam enim fortunam experti Hungari, Dalmatiam amiserunt. Hanc vero Manuel non tam Belae, quam sibi asseruit; nam cum ex altera uxore filium Alexium suscepisset, hunc successorem designavit, et filiam quoque Mariam, a Bela abstractam, alteri despondit, cognationis vinculum, ab Irene S. Ladislai filia, Joanni Comneno olim nupta, accersitum obstare causatus. (c) In hac variante fortuna, Stephanus excelsi animi Princeps, A. 1173. repentina morte sublatus est, et Strigonii sepultus.

Ex Agnete, Henrici Austriae Dueis filia, nullam sobolem reliquit.

(a) Choniates l. c. p. 656. Cinnamus ibid. p. 665. —677. (b) Cinnamus apud Stritterum T. 2. P. 1. p. 187. et T. 3. P. 2. p. 678.—681. (c) Dandulus apud Muratorium T. 12. p. 292. Cinnamus apud Stritter, T. 3. P. 2. p. 682.—691.

Bela III. Rex XVI. ab A. 1173.—1196.
= 23.

§. 1.

Byzantio ad Regnum vocatus, fratrem suum Geisam, solii eripiendi causa, bellum moventem, in ordinem redegit.

Bela III. Stephani III. frater, Byzantio ad capessendum solium accitus, antequam a Manuele discederet, jusjurandum edidit, nihil se acturum unquam, nisi quod ex usu, et commodo Graecorum esset. Multos propterea domi a se alienos reperit, in his Lucam Bánfi, Archiepiscopum Strigoniensem, qui apud Graecos ducatum, propensiozem in Graecam, quam in Latinam Ecclesiam fore credens, coronare eum noluit. Quare svasu Alexandri III. Pontificis, illius munus Antistes Colocensium Paullus obivit. (a)

Inter haec Geisa, junior frater Belae, conductis in Austria copiis, eripere ei solium constituit: sed victus, et in vincula coniectus est, in quibus aliquamdiu fuit: postea cum ad Fridericum I. Imperatorem, auxilia petiturus, per Bohemiam tenderet, a Sobieslao Duce comprehensus, Regique traditus, majore cura servabatur; donec opera Friderici I. A. 1189. libertati reditus, eundem Caesarem in Graeciam secutus fuisset, ubi

(a) Cinnamus l. c. Pray Hierachiae T. 1. p. 115.
Katona T. 4. p. 226.

deinde mansit, ductaque uxore Graeca, liberos etiam suscepit. (a)

§. 2.

Sirmium, ac Dalmatiam a Graecis recepit. In Galliciam, et Lodomeriam jus exercuit. Fures, et latrones severissimis poenis exstirpavit. Libellorum supplicum usum induxit, et Ministros Precum constituit. Emerico filio Regnum, Andreae magnos thesauros in usum Expeditionis Sacrae reliquit.

Jam tum Bela, mortuo Manuele, Dalmatiam, et Sirmium a Graecis recuperat. Non multo vero post in Galliciam, et Lodomeriam jus exercuit, eas provincias, populi voluntati morem gerens, Andreae filio concedendo. Sed hunc brevi Poloni armis inde exegerunt, et Wladimiro Duci, quem antea pepulerant, Ducatum restituerunt. Bela id opinione Polonorum lenius tulit; nam post paucos hostiles actus, pacem cum Casimiro II. sanxit, jure tamen in Galliciam, et Lodomeriam sibi, suisque posteris asserto. (b)

In principio regiminis fures, et praedones, inter bella fere perpetua nimis multiplicatos, se-

(a) Dobner Monument. T. 5. p. 194. Katona T. 4. p. 224. 225. 265. 351. et seqq. (b) Thomas Spalat. Hist. Salon. C. 23. Lucius L. 3. C. 12. Dandulus Apud Pray Annal. P. 1. p. 172. Cromerus L. 6. in rebus Casimiri. Katona T. 4. p. 306. etc.

verissimis poenis in eos decretis, extirpaverat, Regnumque tutum reddiderat. Tum vero ut Hungari per libellos supplices cum Rege suo agerent, et latus a se in judiciis sententias Notarii in scripta referrent, primus Regum praecepit. Emericum filium jam A. 1185. Regio diademate insignitum, successorem suum constituit; alteri vero Andreae amplissimos thesauros reliquit, ut suum adversa valetudine impediti, expeditionem in Palaestinam suscipiendi, votum exsolveret. Ita rebus prudenter compositis, magno apud omnes sui relicto desiderio, A. 1196. supremum diem obiit, tumulo illatus Albae Regiae. (a)

Ex uxore Agnete, alias Anna, Boamundi III. Principis Antiocheni filia, item ex altera Margareta, Ludovici VII. Galliae Regis filia, suscepit Emericum, Andream, Salomonem, et Stephanum, filios, tum Margaretam, a Graecis Mariam dictam, Isaacio Angelo Orientis Imperatori, et Constantiam Premislao Bohemiae Regi collocatas.

Emericus Rex. XVII. ab A. 1196. —
1204. = 8.

§. 1.

Fratrem suum Andream, qui bellum civile excitavit, cessione Dalmatiae, et Croatiae placavit. Postea Regno ipsi inhiantem, et iterum, ac tertio inimicum inermis cepit, et inclusit.

Emericus Belae III. filius, Regnum in principio tranquillum, ac ditionibus a Bela auctum,

(a) Thurocz. P. 2. C. 69. Bonfin. Dec. 2. L. 7. Hattona T. 4. p. 240. et seqq.

Andreas Regis frater semel, iterum, ac tertio perturbavit. Dalmatiae, et Croatiae inhians, thesaurum a patre acceptum, in militem conscribendum convertit, bellumque fratri indixit, magna sanguinis civilis jactura initio gestum, quod pars illum, pars altera Regem sequeretur. Dissidentes Innocentius III. Pontifex ad concordiam adduxit, pace ea lege conciliata, ut, quas Andreas appetebat, provincias obtineret.

Sed pax non diu placuit Andreae, Regnum ipsum ambiens. Quod Emericus A. 1199. uxorem duxisset Constantiam, spem successionis sibi succisam esse ratus, rursus bellum suscitavit. Pugna inferior, in Austriam ad Leopoldum Ducem evasit, qua fuga occasionem fratri praebuit, ut Leopoldi provinciam igne, ac ferro vastaret. Tum vero Principes Imperii discordes fratres conciliarunt.

Neque tamen diuturna fuit concordia. Emericus sacram expeditionem moliens, Ladislaum filium infantem successorem designavit. Id Andreas aegre ferens, justum contraxit exercitum, Regique adventanti opposuit. Prope erat, ut ad manus veniretur, cum Rex a suis se pene desertum videns, inermis, solaque virga munitus, illius castra subiens, elata voce ajebat: Visurum se, quis sit ausurus manum extendere, in sanguinem Regalis prosapiae. Cedentibus sponte armatis, fratrem apprehensum educit castris, suisque tradit, arci Slavoniae Reme includendum.

§. 2.

Interim amissa urbe Dalmatiae Jadræ, Stephano Serviae Principi Vulcum clientem suum suffecit, et Joannitio Bulgariae Regulo magnam provinciae partem ademitt.

Haec intestina mala jacturam urbis Dalmatiae Jadræ post se traxerunt, quam Veneti, tempore usi, suae potestati subjecerunt. Parte tamen alia jura sacrae coronae ab Emerico aucta sunt. Exauctorato enim Stephano Serviae Principi Vulcum, illius fratrem suffecit, qui se Regis Hungariae clientem fore professus est, Joannitio vero Bulgariae Regulo, quod Sirmiam ulteriorem occupasset, et vastasset Serviam, magnam provinciae partem ademitt, primusque Bulgariam, et Serviam Regum Hungariae titulis inseruit. Finem vitae sibi instare sentiens, Ladislaum infantem coronandum curavit, eique fratrem Andream, e carcere advocatum, Tutorem dedit; nec multo post A. 1204. e vita excessit sepultus Agriae. (a) Magni animi Princeps, optimeque in adolescentia institutus, sed irae parum potens, qua initio regiminis abreptus, praeter alia perperam facta, Boleslaum Vaciensem Antistitem indigne tractaverat. (b)

Ex uxore Constantia, Alphonsi Castiliae Regis filia, Ladislaum Infantem suscepit; qui etsi

(a) Pray Hist. T. 1. p. 181.—192. (b) Litterae Innocentii III. Pont. ad Emericum apud Pray Annal. P. 1. p. 181.

coronatus fuerit; Regni tamen gubernacula non capessivit; exortis enim inter matrem illius, et Andreae uxorem simultatibus, vidua cum filio, ac Regni insignibus ad Leopoldum Austriae Duce[m] abiit. Ibi Ladislaus brevi decessit; Constantia vero in patriam reversa, alterum virum Fridericum II. Imperatorem postea nacta est. Insignia Regni Leopoldus Dux in Hungariam remisit.

Andreas II. Rex XVIII. ab A. 1205.

— 1235. = 30.

§. 1.

Uxoris suae Gertrudis gratia, magnos favores exteris exhibendo, et sibi multorum odium conscivit, et uxorem, a male contentis occisam, amisit.

Andreas II. Emerici frater, regimen quidem diuturnum, non tamen felix, et quietum habuit. Initia ipsa fuere turbida; odio enim Gertrudis, exauctorare Andream, et Geisae filios ex Graecia ad solium accire nonnulli decreverunt: quorum etsi repressa sit audacia; causae tamen odii non sunt sublatae. A Reginae gratia, Regis favorem, et fortunam subditorum dependere, multi aegre ferebant. Itaque cum ad turbas Galliciae, et Lodomeriae componendas Rex abiisset; eandem nihil sinistri ominantem, et auxilio destitutam, A. 1214. in palatio adorti, e medio sustulerunt. Auctore Bancone Comite Palatii interfecta fuisse scribitur, pridem infenso, quod antea

Dalmatiae, et Croatiae Banus, Reginae, fratri, extero utique, et juveni dignitatem cedere debuerit. Pontifex de fato Gertrudis edoctus, auctores caedis sacris interdixit; Rex vero e Gallicia reversus, quosdam criminis participes bonorum amissione mulctavit, gravius in eos animadvertere non ausus, reminiscens, illorum se opera, et armis contra fratrem usum fuisse. Inde audaciores, Belam sufficere patri voluerunt; sed id facinus auctoritas Pontificis prohibuit.

§. 2.

Rebus domi utcunque compositis, expeditionem in Palestinam maiore cum gloria, quam fructu suscepit; ex qua reversus, ut factiones domesticas, et Nobilium querelas tolleret; jura Nationis in periculum adducta, celebri Decreto, quod Bulla Aurea vocatur, restituit, et confirmavit.

Parta auctoritate Pontificis securitate, ut patris votum exsolveret, in Palestinam proficisci statuit. Igitur Belam filium natu maximum, inauguratum, successorem declaravit: Colomanum Galliciae, et Lodomeriae, uti Primores cum populo postulabant, Regio cum titulo praefecit. Tum comparato exercitu, iter ingressus, A. 1217, Ptolemaidem appulit, ubi cum Europaeis, et Asiaticis Christianis conjunctus, semel, iterum, ac tertio victoriam de Turcis retulit; sed cum foederis socios male rem gerere cernebat; Regnum autem suum turbis agitari, certi

afferrent nuncii : sequente anno rediit, vix aliud, quam cognomen Hierosolymitani ex longinquo itinere, axantlatisque multis laboribus referens.

At Regnum factionibus distractum, aerarium rapinis exhaustum reperit, et Colomannum filium a Micislae Novogradiae Duce Regno exutum, cum sponsa, multisque illustribus viris, captivum teneri intellexit. Hunc quidem brevi libertati, non item Regno restituit, fide confirmans: se minimum natu filium Andream Gallicianis Regem daturum, eique Micislai filiam desponsurum: factiones vero domesticas, Optimatum, ac Nobilium querelas, et quae cum filio Bela, justo majorem auctoritatem sibi arrogante, dissidia habuit, non nisi per celebria A. 1222. comitia ad tempus sopivit. In illis enim insigne Decretum edidit, ab appenso sigillo aureo, Bullam Auream dictum, quo Nobilium jura, quae a S. Stephano accepta, successores hujus oppressere, restituit, et confirmavit. Articulus complectitur 31. qui partim de personis, partim de fundis Nobilium agunt. Hos omnes Andreas ejus roboris esse voluit, ut, si a Regum aliquo violarentur, Episcopis, et Nobilibus eidem impune contradicere, ac resistere liceret. Sed hanc Articuli 31. clausulam saeculo 17-o quidam ad armorum civilium licentiam detorquebant. Itaque in comitiis Posoniensibus A. 1687. abrogata, et simul ex formula, qua Reges tempore inaugurationis, de observando Andrae II. Decreto jusjurandum dicunt, consensu Ordinum expuncta est.

§. 3.

Acquisito in Moldaviam jure donationes bonorum, quas antea fecerat, irritas declaravit: quapropter in discrimen Regni amittendi venit; quod gravissimis calamitatibus paullo post objecit, cum Regia, et S. Coronae bona, omnesque redditus publicos Judaeis, ac Saracenis administrandos credidisset.

Ut alteram expeditionem saeram Andreas susciperet, prioris damna sentiens, induci deinceps a Pontifice non potuit, nihil moratus ceteros, qui se voto ad eam obstrinxissent. In his fuit Robertus Archiepiscopus Strigoniensis, qui cum A. 1227. in Palestinam tenderet, a filio Principis Cumanorum, qui tum Moldaviam tenebant, revocatus, 15. eorum millia sacro fonte abluit, quos ut in fide confirmaret, voto per Pontificem solutus est. Andreas, consensu Cumanorum, Belam Moldaviae praefecit, atque immunitatibus donatam, juribus suis asseruit.

At mox in Regni, vitaeque ipsius amittendae discrimen venit. Nam cum donationes bonorum, quas antea fecerat, irritas declarasset: ii, qui praecipuam bonorum partem, sibi olim collatam, nunc amissuri erant. Regem cum filiis e medio tollere, totumque Regnum inter se partiri constituerunt: deinde mutata sententia, Fridericum II. Caesarem ad solium accire decreverant. Sed nuncio cum litteris intercepto, conju-

ratorum consilia in apertum prodire, in quos, cum multi potentissimi essent, animadvertere Andreas neglexit, vel tutum non esse putavit.

Quapropter ut egestati suae consuleret, bona Regia, et Sacrae Coronae, omnesque reddituum publicorum fontes Judaeis, ac Saracenis administrandas dedit. Tum vero plebis Christianae, et Ecclesiae Hungaricae status tristissimus fuit. Multi ad extremam inopiam adducti, spe sortis suae emendandae, ad Saracenorum sectam defecerunt, aut liberos suos iis vendiderunt, ut, quo censum solvere possent, haberent: alii suas eis filias collocabant, ex quibus susceptas proles suo ritu Saraceni educabant. Cum Bela quoque bona Regia, aliis donata, revindicatum iret: querelis omnia, atque lamentis personabant. Rex quidem precibus aliquorum motus, immunitates a S. Stephano concessas, novo Decreto confirmavit, data Archiepiscopo Strigoniensi Reges, per quos violarentur, sacris arcendi potestate: Regni tamen status in dies deterior erat. Quare Robertus Archiepiscopus Strigoniensis Regnum universum sacris interdixit, et Regi anni spatio, intra quod errorem corrigeret, concesso, homines improbos, quorum consiliis usus erat, nominatim Dionysium Palatinum Ecclesiae communione privavit. Novis inde enatis querelis velut e somno excitatus Andreas, et ab Archiepiscopo de malis cunctis edoctus, remotis ab administratione bonorum Saracenis, ac Judaeis, quietem Regno restituit.

Nec multo post victo, qui caedes in finibus Hungariae exercuerat, et ad pacem redimendam

adacto Friderico Duce Austriae, A. 1235. vivere desiit, sepultus Varadini. (a)

Uxores tres duxerat: Gertrudem Meraniae, et Carinthiae Ducis, Jolantam Petri Antisidionensis Comitum, et Beatricem Aldrovandini Esthensis in Italia Marchionis filias. Ex his filios suscepit: Belam, Colomannum, Andream, et Stephanum posthumum; filias autem: Elisabetham Ludovico Thuringiae Landgravio, Mariam Asani Bulgariae Regi, Jolantam Jacobo Aragoniae Regi in matrimonium collocatas.

Bela IV. Rex XIX. ab A. 1235.—1270.
= 35.

§. 1.

Auctoritati Regiae consulturus, eos, qui sub Andrea II. Regnum perturbaverant, variis poenis affecit, et bona Castrorum Regionum a privatis pleraque recepit. His rebus potentiores quosdam offendit, et evocatum ab iis Fridericum Austriacum profligavit.

Bela IV. Andreae II. filius, Optimates, qui olim dissidiorum inter se, ac patrem causa fuerent, quaestioni subjectos, alios custodiae mancipari, multari exilio alios Dionysium vero Palatii Comitem, praecipuum male sanorum consiliorum auctorem, oculis orbati jussit. Auctoritati Regiae consulturus, vetuit, ne quis coram Rege, praeter Archiepiscopos, Episcopos, et Primores

(a) Pray Annal. P. 1. p. 185.—243. Hist. Eiusdem T. 1. p. 194.—233.

consideret; qui contra faceret, ejus sedes igni cremaretur. Libellorum supplicum morem reduxit, et gravioribus caussis sibi servatis, ut Cancellarii de levioribus cognoscerent, praecepit. Damna denique aerarii reparaturus, bona castro-
rum Regionum ab omnibus recepit, qui ea pro meritis non obtinuerant, nec Ecclesiis, neque religiosis familiis parcens. His rebus quidam ex potentioribus irritati, Regnum Friderico Austriaco obtulerunt, qui cum ad fines Austriae factiosos opperitur, a superveniente Rege in fugam coniectus, magno auri pondere pacem emit: illi parte bonorum privati, poenas dederunt.

§. 2.

Cumanos, a Tartaris victos, cum Rege Cutheno in Regnum recepit, inter quos, et Hungaros enatae discordiae, ad accelerandum imminens Hungariae malum, non parum contulerunt.

Inter haec Tartari, subacta A. 1257. vetere Hungaria, in Cumanos irruerunt. Horum Rex Cuthenus duobus praeliis victor, tertio ab illis victus, in Hungariam venit, pro se, et 40. familiarum millibus jure civitatis a Bela obtento. Inter hos, et Hungaros enata mox dissidia sublaturus Rex, Cutheno cum sua familia Pesthni domicilium constituere jusso, reliquos per Comitatus distribuit, et Comiti Parochiano, ceterisque Magistratibus subjecit. Neque tamen hoc etiam modo concordiam stabilivit. Cumanis aegre

ferentibus, se a Rege suo, et ab invicem esse divulsos: Hungaris contra occasionem habentibus, de sparsis per Regnum Cumanis facilius vindictam sumendi, si quam injuriam intulissent.

§. 3.

Tartari per Russiam, Poloniam, et Silesiam grassati, disjecto ad limites nostrorum exercitu, Duce Batho, inter caedes, et incendia, Pesthinum usque pervenerunt; subinde relata ad Sajonem victoria, divisis agminibus, Regnum universum pervagati, tristissima barbarae crudelitatis vestigia reliquerunt.

Interea Tartari per Russiam, Poloniam, Silesiamque caedibus, ac incendiis grassati, Hungariam ad ictum destinabant. Hoc periculo tam propingva, tamque magno permotus Bela, delectos cum Palatino misit, qui limitem occuparent, longiusque barbaros progredi non paterentur. Hi vim hostium non sustinuerunt; dumque Bela cum Episcopis, et Primoribus de profligando malo Budae consilia init, Bathus supremus barbarorum Dux, disjecto, quod ad limites excubabat, praesidio, inter caedes, et incendia A. 1241. Pesthinum accurrit, desaevitque ita, ut nec loco, nec personae cuiquam parceret. Rebus ad summum discrimen adductis, quidam, Cuthenum cum Tartaris conspirasse, falso sibi persuadentes, pro vita sua fortiter dimicantem, cum tota familia peremerunt. Caede sui Principis irritati Cumani,

arma adversum Tartaros sumpta, in Hungaros vertunt, multos occidunt, loca multa diripiunt, et cum praeda in Bulgariam omnes discedunt. Bela coacto interea sub signa copioso exercitu, in Tartaros, vicinam Pesthino regionem populantes irruit, recedentes usque Sajonem insequitur, et illis trans flumen considentibus, in ceteriore planitie castra facit. Sed haec subito cingunt barbari, et immisso sagittarum imbrey, injectoque in circum posita plaustra igne, nostros ita perturbant, ut sola fuga se servari posse crederent, cui cum omnes se dedissent, Hex Posonium, frater ejus Colomannus, ex vulnere brevi moriturus, in Slavoniam evasit: reliqua multitudo in castris, praelio, aut fuga deleta fuit. Victores ad Sajonem Tartari, socios suos e vicinis regionibus evocant, quorum adventu ad 500. millia aucti, opulentissimum Hungariae Regnum caedibus, ac incendiis implent, tandem in solitudinem redactum 1242. deserunt, cum morte Imperatoris sui res domi turbari intelligerent. Nemini est dubium, si multi a Rege non fuissent alieni, illam Hungaros calamitatem accepturos non fuisse. (a)

§. 4.

Sequente, ac tertio anno fames, ferocissimi lupi, denique locustae malum auxerunt. At Bela Dalmatarum fide conservatus, quae collapsa repererat, ita sensim reparavit, ut alter Regni Conditor dici mereatur.

(a) M. Rogerii Miserabile Carmen de Hungaria a Tartaris vastata.

At Bela a Friderico Austriaco omni, quem secum ferebat, thesauro privatus, cum ad liberandam patriam omni ferretur cogitatione, Gregorii IX. Pontificis, et Friderici II. Imperatoris opem adversum barbaros imploravit, sed frustra. Igitur ad vicinas Dalmatiae insulas se contulit, et quas barbari fecere, insidias elusit. Inde mense Majo A. 1242. post Tartarorum discessum in Hungariam rediit. Populus quoque per silvas, montes, et vicinas regiones sparsus, paullatim conveniebat, cujus magnam partem fames, et ferocissimi gregatim oberrantes lupi, reliquorum vero sata locustae consumserunt.

Cessantibus tandem malis, Rex e vicinis provinciis novos arcessit colonos, urbes, et arces disjectas, ac templa deleta reficit, loca castellis idonea communit, civibus veteribus sua restituit novis bello vacue factas terras dividit, possessiones novis documentis, litterariis, quod antiqua a barbaris, incesa, vel evecta essent, roborat, atque ita sensim Regnum restituit, ut alter ejus conditor dici mereatur.

§. 5.

Fridericum Austriacum, qui in Dalmatiam fugientem omni thesauro spoliaverat, in bello occidit. Verum obtentam pro filio Stephano, et aliquamdiu possessam Stiriam, contra vim Ottocari Bohemiae Regis, retinere non potuit.

Tam primum ultus est bello injuriam, sibi in Dalmatiam fugienti a Friderico Austriaco illatam, eoque bello Dux ipse cecidit. Sed illius mors, quod e stirpe Babenbergica ultimus surculus fuerit, novi belli semina jecit, Austriacis Ottocaro Venceélai Bohemiae Regis filio, Stiris Stephano filio Belae adhaerentibus, Stephanus quidem Stiriam incolumis aliquamdiu tenuit; sed Ottocarus postea largitione munerum effecit, ut Stiri, illo rejecto, sibi Ducatum traderent. Novum inde bellum natum est, quo Bela ad Moravam victus, A. 1260. juri in Stiriam, nomine filii renunciavit.

Dissensionem deinde cum eodem filio, jacturam Stiriae sibi compensari postulante, semel, ac iterum habuit, qua sopita, accepit gravissimum vulnus morte minoris filii Belae, et non multo post excelsi animi Princeps, Religionem, remque publicam maxima cura per omnem aetatem complexus, supremum diem obiit A. 1270. sepultus Strigonii. (a)

Ex uxore Maria, Theodori Lascaris Imperatoris Graeci filia, praeter Stephanum Regem, et Belam Dalmatiae, Croatiae, ac Slavoniae Ducem complures sustulit filias: Margaretam, et Catharinam, ntramque in tenera aetate extinctam, S. Cunegundem Boleslai Pudici Poloniae Ducis sponsam, S. Margaretam in insula Leporum Monialem, Elisabetham Henrico Bavariae

(a) Pray Annal. P. 1. p. 261. — 324. Hist. T. 1. p. 244. — 281.

Duci nuptam, ejus filius Otto Rex Hungariae, Annam Ladislai Galliciae Ducis conjugem, ejus filia Cunegundis ex Ottocaro Bohemiae Rege suscepit Venceslaum II. patrem Venceslai Regis Hungariae, Constantiam Danieli Russiae Duci collocatam, ex qua Michael Bosniae, et Bela Machoviae Duces nati, Helenam Boleslao Pio Craeoviae Duci nuptam, et Sabinam Moysis Hungariae Palatini uxorem.

Stephanus V. Rex XX. ab A. 1270.—
1272.=2.

Propter thesaurum Regium, quem Anna Ottocari socrus, a patre suo Bela IV. acceptam, in Bohemiam miserat, et ereptum ab Ottocaro Duci Carinthiae Philippo Ducatum, non satis prospere cum Bohemis pugnavit. Bellum fames, hanc pestis domi excepit. Rex animo aeger, in flore aetatis decessit.

Stephanus V. Belae IV. filius, vix solum capessivit, bello cum Ottocaro Bohemiae Rege implicitus est, magnam thesauri Regii partem, quem Anna ipsius soror, et Ottocari socrus, a patre morituro acceptam, securitatis causa, in Bohemiam miserat, repetens, simulque Philippo foedere sibi juncto, Ducatum Carinthiae ab eodem vi esse ademtum, aegre ferens. Igitur revertenti ex Carinthia, ad montem Simeringam insidias fecit, quibus ab hoc evitatis, Austriam populatus, captis fere 20. hominum millibus,

copias domum reduxit. Ultus est damnum Otto-
carus, Posonio, pluribusque civitatibus occupa-
tis. Iterum Hungari Austriae, et Moraviae infu-
si, cladem restituerunt. Tandem Antistites, et
Proceres, conciliata pace, bello finem fecerunt.
Bohemus, quae in Hungaria occupaverat, Ste-
phano restituit: hic juri suo in thesaurum, illi
ab Anna traditum, renunciavit.

Pacem diffusa per Regnum fames, et ex hac
pestis consecuta, magnam hominum copiam,
quibus in bello fortuna pepererat, absumsit.
Rex sive tristi hac suorum calamitate, sive ob
nuperam pacem, animo aeger, in optimo aeta-
tis flore decessit A. 1272. sepultus in insula Le-
porum. (a)

Ex Elisabetha Cumana suscepit Ladislaum
Regem, et Andream Selavoniae Ducem: praete-
rea Mariam Carolo II. Claudio Regi Neapolita-
no, Annam Andronico Imperatori Graeco, Ca-
tharinam Stephano Dragutino Serviae Principi
desponsatas, et Elisabetham in insula Leporum
Monialem.

Ladislavus III. Rex XXI. ab A. 1272.—
1290 = 18.

§. 1.

*Rudolpho I. Imperatori, in Ottocaro de-
bellando, utilem operam praestitit.
Cumanos, Duce Oldamuro, servitu-
tem Hungaris minantes, cruenta pu-
gna fregit. Tartaros denique a Cu-*

(a) Pray Hist. T. 1. p. 282.—288.

manis advocatos, maximam partem delevit.

Ladislaus III. cognomine Chunus, vel Cumanus, Stephani V. filius, bello acquisitam gloriam, magnis postea vitiis obscuravit. Nam facta cum Rudolpho Habsburgico Imperatore societate, plurimum quidem ad hoc contulit, ut Ottocarus provinciis Austriacis exutus, pro Bohemia, et Moravia Caesari jusjurandum fidelitatis diceret, thesaurumque Regium redderet, pro quo Stephanus V. frustra armis dimicaverat; tardius vero perdita recuperare volens, vitam ipsam in praelio amitteret A. 1278. Cumanos porro, cum jam eo audaciae prorupissent, ut Hungaris ipsis servitutem minarentur. Duce Oldamuro saevientes, cruenta ad locum Hód pugna A. 1282. fregit. Tartaros denique a Cumanis, qui e praelio evaserant, advocatos cum A. 1285. Pesthinum usque caedes, ac incendia spargerent, subito circumventos, ita pressit, ut pars nostrorum ferro, pars in fuga frigore, fame, aut morbo interirent.

§. 2.

Verum quaesitam his bellis gloriam, nimia cum Cumanis agendi, et vivendi consuetudine corruptit: Religionem Christianam gravi periculo, gentem Hungaram illorum injuriis objecit. Quare domi, forisque contentus, ab ipsis Cumanis trucidatus est.

Verum jam post bella cum Ottocaro gesta, familiari cum Cumanis agendi, et vivendi con-

svetudine depravatus, gentem Hungaram illorum injuriis, Christiana sacra gravi periculo objecit, et plurimis ad noxiam vivendi licentiam facem praetulit. Monitus a Pontifice, Rudolpho Imperatore, et Carolo Siciliae Rege suo socero, a Philippo item Firmiano Episcopo, quem ad res sacras, profanasque componendas, Pontifex in Hungariam miserat, ad virtutem revocatus, priora damna reparare coeperat. Sed profligatis Tartaris, ad pristinam reversus vivendi licentiam, iterum se totum Cumanis addixit, immo Tartaros ipsos, Saracenos, ac Neugarios in consortium admisit, apud hos vivere, cum his epulari in deliciis habuit, mores patrios, cultum, vestitumque mutavit.

Itaque auctoritate Regia domi, forisque contempta, Urosius Serviae Despota Lachoviensem Ducatum, Veneti maritimas Dalmatiae oras occuparunt; Duces Russiae Rubrae libertatem sibi vindicarunt; Breberiensis Comites in Dalmatia, et Croatia tyrannidem arripuerunt; Joannes Gissingensis Stiriae, et Austriae infestus, Albertum Ducem irritavit, ut, relata victoria, 50. Hungariae civitates, et oppida expugnaret. Nobiles denique ipsi alios debiliores opprimendo, eam jumentorum penuriam invexerunt, ut agendis curribus homines adhiberentur, et curriculi, ab hoc Ladislao nomen sortiti, in usum venirent.

Tandem ipsis etiam Cumanis invisus Ladislaus, a tribus eorum, quibus negotium patrandi sceleris reliqui commiserant, cum ad castrum Kerestszeg divertisset, notis silentio oppres-

sus, insignem belli gloriam turpi morte maculavit A. 1299. Corpus ejus Csanadini primo conditum, postea Varadinum translatum est. (a)

Ex uxore Isabella, alias Elisabetha Caroli I. Regis Neapolitani filia nullas proles suscepit.

Andreas III. Rex XXII. ab A. 1290. —
1301.=11.

§. 1.

Albertum Austriacum, a patre Imperatore Hungariae Regem designatum, armis removit. Contra Carolum Martellum Regis Neapolitani filium, praecipuum aemulum suum, foederibus se munivit.

Andreas III. Venetus Stephani Posthumi ex Thomasia Mauroeena filius, nepos Regis Andreae II. plura obstacula superanda habuit, priusquam Regni possessionem adiret, eamque sibi confirmaret. Pro solenni inauguratione e Sclavonia proficiscenti, insidias factiosi fecerunt, quibus feliciter evitatis, obtentaque ab iis corona, impostorem quemdam instruxerunt, qui se Ladislai fratrem mentiretur. Hoc quoque in ordinem redacto, graviores curas injecerunt Rudolphus Habsburgicus Caesar, et Nicolaus IV. Pontifex. Ille Hungariae fines cum exercitu carpens in deditionem accepit Ginsium, totamque circa regionem pavore complevit. Regiam namque domum

(a) Simon de Keza L. 2. C. 5. Thurocz. P. 2. C. 78.—81. Pray Hist. T. 1. 289.—306.

extinctam arbitratus, existimabat, ad Imperium Germanicum Hungariam pertinere, jamque Albertum filium Regem designaverat. Sed cum Andreas exercitum in Austriam ducens, oppida permulta vi cepisset, pacem Hamburgi cum Alberto fecit. At Carolus Martellus Caroli Claudii ex Maria Ladislai III. sorore filius, Nicolai IV. favore nixus, et ab ejusdem Pontificis Legato Neapoli coronatus, jam per Siciliam, et Italiam pro Rege Hungariae habebatur, maritimasque provincias, ut ab Andrea deficerent, sollicitabat. Hujus potentiam Andreas ut eluderet, cum Rege Bohemiae, Austriae, et Bavariae Ducibus, Salsburgensi denique Archiepiscopo foedus pepigit, primumque Alberto Austriaco adversus Adolphum Nassovium Caesarem opem tulit. Sed Martellus nihil postea in Andream molitus est, A. 1295. relicto filio Carolo Roberto, Neapoli peste absumtus.

§. 2.

Sed quum potentiorum aliena rapiendi licentiam severis legibus coerceret; ab iisdem Carolus Robertus, Martelli filius, ad Regnum vocatus est. Andreas multorum defectione consternatus, obiit, et virilem Arpadi stirpem secum tumulo intulit.

Ab his aemulis expeditus Rex, mala, quae in Rempublicam irrepserant, sublaturus, potestatem Episcopis, et Nobilibus fecit, ut exclusis de profano ordine Magnatibus, quod hi plurima Regis, Ecclesiarum, et debiliorum Nobilium

bona usurpassent, comitia A. 1298. celebrarent. Multa in his constituta sunt, quae Primorum in Regem odia accenderunt, neque effectui data sunt. Novum igitur in annum sequentem conventum indixit; sed hunc Gregorius Archiepiscopus Strigoniensis perturbavit, anathema minatus Episcopis, nisi, desertis comitiis, ad se Veszprimii agentem convenirent. Quare Andreas Bonifacium VIII. Pontificem oravit, ut male contentos auctoritate sua coerceret. Inutili plane consilio; iidem enim Carolum Robertum Martelli filium, Regem sibi dari a Pontifice petierunt. Libenter annuit Pontifex, et Robertus undecim annos natus, Zagrabiam veniens, seditiosorum fidei se commendavit. Andreas non tam imbellis aemuli adventu, quam quod multi a fide sibi data defecerant, consternatus, in morbum incidit, et A. 1301. e vivis sublatus, florentem in Hungaria quadringentis, et amplius annis virilem Arpadi stirpem secum tumulo intulit. Insigni virtute praeditus Princeps, si a nonnullorum perfidia se expedire potuisset, damna sub Ladislao III. Religioni, Reique publicae illata, pietate, ac prudentia reparasset. (a)

Ex priore conjugis Fennena, Zemoviti Cujaviae Ducis filia genuit Elisabetham, Venceslai Regis Hungariae sponsam; ex altera agnete Alberti Austriae Ducis filia Catharinam suscepisse, a nonnullis perhibetur.

(a) Pray Annal. P. 1. 359. — 367. Hist. T. 1. p. 307. — 333.

HISTORIAE REGNI HUNGARIAE

PERIODUS TERTIA

ab A. 1301. — 1526. = 225.

Venceslaus Bohemus Rex XXIII. ab A.
1301. — 1305. = 4.

§. 1.

Post mortem Andreae III. divisis Hungarorum studiis, Gregorius Archiepiscopus Strigoniensis Carolum Robertum Strigoniæ non consueta corona; Joannes Colocensis Venceslaum, cognominis Bohemiae Regis filium, Albae Regiae corona sacra inauguravit.

A morte Andreae III. illi apud Hungaros Principes summas imperii tenuere, qui Arpadi stirpi cognitione fuerunt conjuncti. Duæ erant in principibus Procerum, et Nobilium factiones, quarum altera Caroli Roberti causam agebat, altera Venceslai II. Bohemiae Regis. Ille Mariae Stephani V. hic Annae Belae IV. filiae nepos erat: prior Romanorum Pontificum patrocinium nitebatur: isti pristinae libertatis studiosi plurimi Hungarorum favebant. Factionum facile

principes Gregorius, et Joannes, hic Colocensis Venceslai, ille Strigoniensis Archiepiscopus rebus Caroli studebat. Et Gregorius quidem fortunam Caroli in celeritate positam esse arbitratus, eundem Strigonii non consveta corona inaugurarvit. Id Colocensis moleste ferens, Pragmam contendit, et brevi Venceslai cognominem filium, quod pater Regni hujus habenas detrectaret, in Hungariam adductum, sacra corona incinxit. (a)

§. 2.

At Bonifacius VIII. Pontifex, Carolo Roberto favens, multos a Venceslai partibus abduxit, anathema Hungaris minatus, nisi Carolum Regem agnoscerent. Quare Bohemiae Rex filium una cum corona sacra in patriam retulit.

Non multo post Nicolaus Ostiensis Episcopus in Hungariam venit, missus a Bonifacio VIII. Pontifice, ut de controversia inter partes cognosceret, juraque Caroli tueretur. Hic cum in Synodo Budensi frustra se pro Carolo niti, immo periculum sibi imminere cerneret; urbe sacris interdicta, partes dissidentes, nomine Pontificis, ad Sedis Apostolicae tribunal ire jussit. Et si Oratores Venceslai dicerent: caussae hujus cognitionem ad Sedem Apostolicam non pertinere; Bonifacius tamen litem in favorem Caroli

(a) Pray Annal. P. 1. p. 367. Hist. T. 2. p. 1.
— 3. Thurocz. P. 2. C. 84. et 85.

diremit; Venceslai electionem irritam declarans, et anathema iis minatus qui illum porro sequerentur.

Promulgata Pontificis sententia plures, qui prius Venceslao studuerant, ad Caroli partes traduxit. Quare Bohemiae Rex, filio, praeter nomen Regis, vix aliquid potestatis esse videns, eundem A. 1304. una cum Regni insignibus, dolo acceptis, in patriam retulit, qui, quod Tabularium Capituli Strigoniensis ingressus, documenta litteraria partim secum avexisset, partim avulsis sigillis aureis, corrupisset, ansam Carolo praebuit, ut abeuntem insequeretur, et circumlatis per Moraviam armis, multa hominum millia in captivitatem redigeret. (a)

Otto Bavarus Rex XXIV. ab A. 1305. — 1308. = 3.

§. 1.

Deserti a Venceslao Hungari, Ottonem Bavariae Ducem, Belae IV. ex filia nepotem, Regem dixerunt, qui obtenta a Venceslao corona Albae Regiae redimitus est.

Neque post obitum Venceslai Carolus continuo rerum potiri potuit; plerique enim jus liberae electionis tuituri, Ottoni Bavaro Regni gubernacula obtulere. Is Belae IV. ex filia nepos, libenter fautoribus suis morem gessit, obtentaque a Venceslao Bohemo corona, atque elusis,

(a) Pray Annal. P. 1. p. 368. — 577. Hist. T. 2. p. 1.—8.

quas Carolus Robertus, et Rudolphus Austria-
cus, foedere juncti fecere, insidiis, Albam Re-
giam deductus, a Veszprimiensi, et Csanadiensi
Episcopis, prisco ritu redimitus est A. 1505.

§. 2.

*Sed cum Ladislai Transilvaniae Vajvodae
filiam sibi despondisset, et ad eam
visendam abivisset; a designato so-
cero insignibus Regni privatus, post
annum in captivitate exactum, in
Bavariam dimissus est.*

At Clemens V. Pontifex omnia experiri sta-
tuit, ut clientem suum Carolum ad solium eve-
heret. Cognitum id erat Ottoni. Quapropter na-
tionis benevolentiam sibi necessariam esse ju-
dicavit, quam se consecuturum credidit, si Ladis-
lai Transilvaniae Vajvodae filiam Hungaram ma-
trimonio sibi jungeret. Sed quod ad salutem co-
gitatum fuerat, in perniciem versum est; nam
cum sponsam visurus, in Transilvaniam ivisset,
a designato socero captus, nec prius dimissus
est, quam ei Regni insignia tradidisset, quibus
resignatis, A. 1308. in Bavariam rediit; reten-
to, dum vixit, Regis Hungariae titulo. (a)

(a) Idem Annal. P. 1. p. 577. — 381. Hist. T. 2.
p. 8. — 11. Thurocz. P. 2. C. 87. et 88.

Carolus Robertus Rex XXV. ab A.
1308.—1342.—34.

§. 1.

In comitiis Rákosiensibus libere electus, et nova primum, deinde sacra a Transilvaniae Vajvoda recepta corona inauguratus, Matthaeum Trentsiniensem, qui magnam superioris Hungariae partem pro se occupaverat; postea Petrum potentem Dynastam, qui Principem quemdam Russum ad Regnum vocabat; tyrannos praeterea Dalmatiae Mladinum, Georgium et Joannem Bobonitsium; denique Urosium perfidum Serviae Regulum, in finibus Hungariae praedas agentem armis domuit.

A Regum altero se desertos, captivum teneri alterum, cum considerarent Hungari, Clementis praeterea V. Pontificis, ni Carolum Regem agnoscerent, minis anathematis moti, ut quies tandem patriae restitueretur, comitia in campum Rákos indixere, communibus suffragiis Regem lecturi. Carolus quoque clam a suis monitus comparuit, ejusque praesentia Optimatum studia conjunxit, ut non modo Rex eligeretur; verum etiam jus successionis ad ipsius posteros extenderetur. Secuta est A. 1309. Budae recens electi Regis coronatio, novo in hunc usum confecto diademate; nam sacrum in Vojvodae Transilvaniae potestate erat, quod ipsum anno se-

quente recuperatum, Albae Regiae solenniter ejusdem capiti inpositum est. (a)

Initia regiminis minus ei prospera fuere; nam dum aemuli de Regno contenderent, aerarium quidam rapinis exhausserant; alii publicos pecuniae reditus usurpabant; Bani in Croatia, et Bosnia summum imperium occuparunt; Veneti denique in Dalmatia ditionem suam non parum protulerunt. Quibus malis occurrere volentem, Matthaei Trentsiniensis molimina avocarunt. Hic amplissimis bonis in superiore Hungaria potitus, sub Venceslao Palatinus erat renunciatus, quo in Bohemiam reverso, nec Ottonem, neque Carolum secutus, Principatum sibi constituere voluit; jamque omnem a Cassovia usque Comaromium regionem in suam potestatem redegerat; cum Rex in rebellem profectus praelio victum, magna bonorum parte multavit. Deinde Petrum alterum Dynastam potentem, qui a Carolo alienus, Principem quemdam Russici sanguinis ad solium accire constituit, opera Vajvodae Transilvaniae vicit, et bonis omnibus exiit. Pari fortuna tyrannos Dalmatiae Mladinum, et Georgium cum Joanne Bobonitsio, qui maritimas oras turbaverant, coercuit, qui tamen provinciam totam ad officium revocaret.

At Urosium Serviae Regulum, qui excusso jugo, crebro in finibus Hungariae praedas agebat, aliquot praeliis fregit, et ad obsequium reduxit, continuatoque contra ejus socios bello, partem quoque Macedoniae sibi subjecit. (b)

(a) Pray Hist. T. 2. p. 11.—20. (b) Pray Hist. T. 2. p. 21.—37.

§. 2.

Sed cum fundos Regios ab injustis possessoribus recipere vellet; a Feliciano Zaah Vissegradi cum tota familia fere peremptus est. Etiam in Valachia rebellem Vajvodam Bazaradum persequens, amisso pene toto exercitu, aegre vitam servavit. Contra Tartaros felicior, Regno imminentes insigni clade affecit, et profligavit.

Firmum, seriumque studium, fundos Regios ad pristinum jus revocandi, Carolo, ejusque familiae mortem propemodum conscivit. Nam cum aerarii damna reparaturus, ne plebi majus onus incumberet, statuisset: ut qui tempore Venceslai, et Ottonis fundos Regios occupaverant, eodem vi decreti, occasione electionis, ab Ordinibus conditi, restituerent, atque Andreae III. donationes irritae haberentur: irritatus Felicianus Zaah, qui olim Matthaei Trentsiniensis partes secutus, parique cum eo actus rapinarum cupiditate, bona Regia in suum usum converterat, et nunc reddere jubebatur, Rege Vissegradi cum familia sua prandente, in triclinium, furis agitated irruit, manum Regis levi vulnere perstringit, Reginae quatuor dextrae digitos amputat, in filios quoque Ludovicum, et Andream gladium vibrans, omnes neci daturus erat; nisi accurrentes ministri, prostratum in frusta concidissent. A. 1330. (a)

(a) Thurocz. P. 2. C. 96. Pray l. c. p. 57. et 38.

Regem hoc periculo liberum majus fere in Valachia excepit, quam in rebellem Vajvodam Bazaradum arma vertisset. Hic, cum per exploratores comperisset, Carolum, occupato Severino, longius progredi, nuncios ei obviam misit, et pacis conditiones obtulit. Verum Rex, spreto suorum consilio, Vajvodam, post repulsam, in montana recedentem, imprudenter secutus, et montium angustiis constrictus, amisso fere toto exercitu, aegre, mutato amictu, vitam servavit, suoque damno, et periculo didicit, nimia fiducia quantae soleat esse calamitati. (a)

Felicis anno sequente contra Tartaros bellum gessit, quos, cum rapinarum causa, Hungariae imminerent, insigni clade adfectos profligavit. (b)

§. 3.

Andreae filio Joannem Roberti Regis neptem despondit ea lege, ut in Regno Neapolitano succederet. Composita porro inter Casimirum III. Poloniae, et Joannem Bohemiae Reges lite de Regno Polonico, majori filio Ludovico jus succedendi in Polonia procuravit

Sublato e vivis A. 1308. Carolo II. qui Regis nostri avus erat, Robertus junior Caroli Martelli frater, Regnum Neapolitanum obtinuit. Illi unicus erat filius Carolus Calabriae Dux, qui A. 1328. mortuus, filias reliquit haeredes:

(a) Thurocz. P. 2. C. 97. (b) Pray l. c. p. 59.



Joannem, et Mariam. Carolus Robertus jus paternum in Regnum Neapolitanum vindicaturus, A. 1333. Neapolim profectus est, et Joannam filio suo Andreae despondit, a quo tempore sponsus titulum Ducis Calabriae gessit, a morte Roberti, in Regno quoque Neapolitano, nisi factiosi prohibuissent, successurus.

Juri in Poloniam pro Ludovico filio haud multo post acquirendo, occasionem dedit iis, quae Casimiro III. Poloniae Regi cum Joanne Regi Bohemiae de eodem Regno intercesserat. Arbitrator quippe delectus Carolus A. 1355. Visegradum evocatos, et splendide acceptos aemulos conciliavit, ac Joanni 500. marcas auri pro Casimiro persolvit; quo beneficio ita sibi hunc obstrinxit; ut herede destitutus, accedente Procerum Poloniae consensu, Ludovicum Caroli filium A. 1339. successorem designaverit. (a)

§. 4.

Ultimo vitae anno insigni Decreto remunariam in ordinem redegit, Princeps pius, prudens, et justus, de Religione, et de Republica profana bene meruit.

Antequam Carolus A. 1342. podagrae doloribus ad extrema redigeretur, insigne Decretum edidit, de ratione eudendae monetae, quae multis modis fuit corrupta, quo praecepit, ut novi denarii purae ustionis Cremnicii euderentur, quo-

(a) Thurocz. P. 2. C. 97. Chron. Venet. apud Lucium L. 4. C. 15. Dlugossus L. 9. col. 1055. Katona T. 9. p. 159.

rum sex unam grossum, qui ad morem Bohemicum latus dicebatur, nonaginta autem florenum auri, qualem Carolus, ad normam Florentini, primus in Hungaria cudi jusserat, valore aequarunt. (a)

Fuit Carolus Princeps a prudentia, religionis, et aequitatis studio magnopere commendatus; Regno quietem, jura, et facultates quorundam scelere abstractas, legitimis dominis restituit; corruptos populi mores emendavit; Cumanos, Tartaros, Ismaelitas, et ceteros, qui aetate Ladislai Cumani irrepserant, ad sacra Christiana adduxit.

Uxores tres habuit: Mariam Casimiri Poloniae Ducis, Beatricem Henrici VII. Imperatoris, et Elisabetham Uladislai Poloniae Ducis filias, ex quarum Postrema, praeter duos, qui infantes obierant suscepit: Ludovicum, Andream, et Stephanum.

Ludovicus I. Magnus Rex XXVI. ab
A. 1342. — 1382. = 40.

§. 1.

Saxones Transilvaniae, qui censum annuum negaverant, captis eorum oppidis; Bazaradum autem Valachiae Vajvodam, et antiquam in Croatia factionem sola armorum ostentatione ad obsequium reduxit.

Ludovicus I. Caroli Roberti filius, a patre acceptam gloriam, multis auxit virtutibus, magnus bello, nec minor in pace. Initio statim re-

(a) Deer. Caroli in Corpore Juris Patrii.

giminis, Saxones Transilvaniae negato censu annuo, res novas molientes, captis uno impetu eorum oppidis, ad officium reduxit; eademque felicitate, et quam victis exhibuit, clementia Bazaradum Valachiae Vajvodam, qui a Carolo defecerat, movit, ut cum gentis suae primoribus Ludovicum adiret, seque in illius fide mansurum, jurejurando polliceretur. Postea antiquam in Croatia factionem, quam alebant Veneti, quin sanguinem humanum adfunderet, sola armorum ostentatione oppressit. (a)

§. 2.

Caeso a malevolis Andreae Joannae Reginae marito, duas expeditiones in Italiam suscepit, et Regnum Neapolitanum occupavit; quod tamen Joannae restituit, quum ipsam Clemens VI. Pontifex crimine, quo Andreas sublatus erat, absolvisset.

Majore labore, atque impensis bellum gestum est Neapolitanum. Robertus Rex condito paullo ante mortem testamento, Joannam neptem suam haeredem Regni ex asse scripsit; de Andrea vero illius sponso ita constituit, ut non prius in regiminis communionem veniret, quam vicesimum secundum aetatis annum complevisset. Itaque Joanna, defuncto avo, rerum potita est; Andreas vero, etsi Clemens VI. Pontifex

(a) Chron. Thurocz. P. 3. C. 1. 2. 5. Anonymus de Obsidione Jadrae L. 1.

aetatis illud impedimentum sustulit, atque etiam, ut coronaretur, in mandatis dedit, non modo voti compos factus non est; verum etiam innocens, et auxilio destitutus Regius juvenis A. 1345. a malevolis noctu suffocatus, et e fenestra suspensus est. (a) Ludovicus, conscia Joāna, caedem fratris sui patratam esse credens, ut Regnum Neapolitanum in se, et Stephanum fratrem transferretur, a Clemente VI. postulavit; cunctante vero Pontifice, ne Regina non audita damnaretur: dolore, et vindictae studio incensus, A. 1347. exercitum in Italiam duxit, et Joāna cum altero marito Ludovico Tarentino in Provinciam fugere compulsa, Regnum ingressus, Carolum Dyrrachii Ducem capite plecti, quatuor alios Regiae stirpis Principes Vissegradum in custodiam deduci jussit, denique punitis etiam aliis fraternae caedis auctoribus, iurandum fidei pro Carolo Martello Andreae filio a Neapolitanis exegit, et Praefectis constitutis in Hungariam rediit.

At Neapolitani, Regis absentia usi, Joānam e Provincia revocant, et Hungaros, qui pro praesidio erant, adoriuntur. Ludovicus eo iterum profectus, plurima loca secundo occupavit, sed multo ad Aversam milite amisso, iudicium de Joāna Pontifici commisit, ipse partem exercitus terrestri itinere domum reduxit. Pontifex Reginam, quod testibus convinci non posset, crimine absolvit; Ludovico tamen 300. millia

(a) Chron. Thurocz. P. 3. C. 4. et 9. Pandulph. de Regno Neapol. L. 5. Lucius L. 4. C. 16.

aureorum solvere jussit. Qua sententiâ intellecta, Ludovicus, Pontificis gratia, omne aes Reginae condonavit, revocatoque praesidio Hungarico, Neapolitanos Principes, qui Vissegradi tenebantur, in patriam remisit. A. 1352. (a)

§. 3.

Lithvanos Galliciae, et Lodomeriae, Tartaros Transilvaniae infestos vicit, et vectigales fecit. Venetos omni Dalmatia exutos, ad pendendum quotannis septem millium aureorum tributum obstrinxit. Serviae, Bosniae, Bulgariae, et Valachiae Regulos, jugum impatienter ferentes, pluribus bellis fregit, et imperata facere coegit.

Jam tum Ludovicus, junctis cum Casimiro Poloniae Rege armis, domuerat Lithvanos, Galliciae, ac Lodomeriae infestos, et Tartaros, qui ab illis concitati, in Transilvaniam irruerant, ita fregerat, ut biennio post, cum Rex ipse ultra Bogum copias duxisset, adolescens eorum Princeps praelio fortunam experiri non auderet; sed, quod Lithvanorum Dux captivus fecerat, sponte ad Regis castra veniens, fidem clientis et annum tributum polliceretur. De Gallicia, et Lodomeria ita inter Ludovicum, et Casimirum convenerat, ut utramque Polonus possideret; filium si susciperet, hic numeratis

(a) Chron. Thurocz. P. 5. C. 10.—25. Lucius L. 4. Cap. 16. et 17. Pray Annal. P. 2. p. 72.—92.

Regi Hungariae centum millibus florenis, porro retineret: sin Ludovicus Polonia potiretur, illae ad jus Hungariae redirent. (a)

Dalmatiam deinde, quam tenuere Veneti, bello eos persequens, recuperavit A. 1358. Sed iidem successu temporis, se solos, ex vetere usu, jus liberae per mare Adriaticum navigationis habere contententes, aliorum maris illius accolarum commercia turbant, ipsum Ludovicum impediabant, quo minus salem Pagensem in Italiam promoveret: cognitum praeterea erat, ipsos sacrae coronae rebelli Serviae Regulo clam studere. Propterea alienus a Venetis Rex, cum Francisco Carario Principe Patavino, Patriarcha Aquilejensi, Anconitanis, et Genuensibus foedus inivit: ut Genuenses, et Anconitani mari, Ludovicus cum ceteris sociis terra tamdiu Venetos oppugnarent, dum maris Adriatici dominatione penitus exuerentur. Biennio apparatus bellum A. 1378. erupit, tribus fere annis varia fortuna gerendum. Quod ad rem nostram facit, Ludovicus plura loca Venetorum in Marchia Tarvisina, Caroli Parvi, et aliorum Ducum virtute expugnavit: illi vicissim aliquot urbes Dalmatiae occuparunt. Pacem tandem Amadaeus Sabaudiae Comes Augustae Taurinorum A. 1381. composuit, qua obstrinxit Venetos ad solvenda quotannis Regi Hungariae septem millia aureorum. (b)

(a) Chron. Thurocz. P. 3. C. 29. Item Cap. 6. Villanus L. 4. C. 5. Katona T. 10. p. 64. Pray l. c. p. 86. 87. 94. et 95. (b) Lucius L. 5. C. 1. Katona T. 10. p. 651. et seq. Pray Hist. T. 2. p. 134.

Subditi sacrae coronae vicinarum provinciarum, Serviae nempe, Bosniae, Bulgariae, et Valachiae Reguli, quod jugum impatienter ferrent, pluribus bellis ansam dederunt. Ludovicus omnes coercuit, et imperata facere coegit. (a)

§. 4.

Mortuo Casimiro III. Poloniae Rex creatus, Galliciam, et Lodomeriam, prius Polonis concessam, Hungariae restituit. Turcas in Bulgaria cruento praelio superavit. Quae omnes victoriae insignem Ludovici rei militaris peritiam ostendunt.

Mortuo interea A. 1570. Casimiro III. Poloniae Rege, uti olim inter hunc, et Carolum Robertum convenerat, Regno Polonico potitus, Galliciam, ac Lodomeriam juribus sacrae coronae restituit, cui primo Ladislaum Opoliensem Ducem cognatum praefecit; A. vero 1577. a Lithvanis; qui eam invaserant, vindicatam, Praefectis Hungaris administrandam dedit. (b)

Eodem anno Radomum, Amurathis I. Turcarum Sultani Praefectum, cruento praelio in Bulgaria superavit. (c)

Tot de hostibus reportatae victoriae, insignem indicant Ludovici rei militaris peritiam.

(a) Pray Annal. P. 2. p. 112. Chron. Thurocz. P. 3. C. 33. 54. 38. 59. 46.—48. (b) Dlugossus L. 10. col. 28. et seqq. Chron. Thurocz. P. 3. C. 30. Cromerus L. 13. de Ludovico (c) Hattona T. 10. p. 395.

Qua fretus, omnibus fere bellis ipse adfuit, celeritate tanta usus, ut hostes plerumque imperatos, imprudentesque offenderet. Eisdem semper gemina ex parte lacessebat, ut vires ipsorum, curasque divideret; ornatissimum utique, et exercitatissimum habuit exercitum. Denique tam prudenter cum Austriacis, Bohemis, Polonis, reliquisque gentibus inibat foedera, ut confidere posset, non se hostem, nisi victum, dimissurum. (a)

§. 5.

Pacis quoque artibus magnus fuit Ludovicus. Rem Religionis, et Ecclesiae Catholicae magno studio promovit. Quinqueecclesiis Academiam, Budae splendidam Regiam condidit. Legum observationem procuravit. Prudentia, et moderatione omnium sibi amorem conciliavit.

Tantam belli gloriam praeclaro Religionis, et ceterarum pacis artium studio copulavit. Nam Cumanorum multa millia a Mohamedis secta, Bulgaros, et Bosnenses, aliosque populos a dissensione cum Ecclesia Romana abstraxit; Judaeos in sua superstitione pertinaces, et populo, quem usuris vexabant, graves, Regno eiecit; Pontifices, a quibus Signifer Ecclesiae appellatus est, adversus Italiae Tyrannos saepius juit; in Russia Rubra Archiepiscopatum Galliciensem, additis tribus Episcopatibus, Premisliensi, Lodomeriensi, et Chelmensi, instituit. Bonarum artium fautor, Academiam Quinqueecclesiensem

(a) Palma T. 2. edit. alt. p. 124.

condidit, ab Urbano V. Pontifice, more illius aetatis, confirmatam, in qua omnes disciplinae, praeter Theologicas, traderentur, ne majoris doctrinae cupidi juvenes exteras, easque remotas, Academias adire cogerentur. Budae Regiam ad omnem splendorem excitavit, cujus commoditate capti Ludovici successores, Vissegrado ad illam domicilium suum transtulerunt. Leges paucas quidem tulit; sed ut eadem valerent, effecit. Neque gloriae, quam fidei cupidior, quae populis in fidem receptis promiserat, sancte servavit: at simul quae subditorum erant muneris, diligenter exegit. In Magistratibus constituendis, singulari prudentia usus non nisi optimos, diu, multumque probatos ex popularibus legebat. Aerarii tantam curam gessit, ut quamvis ingentes in bella, et militem sumtus faceret; nunquam tamen pecunia ei deesset. In summo dignitatis fastigio, et rerum omnium potestate, tantum ab insolentia abfuit, ut non tam dominum, quam patrem, et legum custodem se gereret. Hungariam denique ad eum potentiae, et gloriae apicem evexit, ut neque ante neque post illum potentior, et plurium provinciarum domina fuerit.

§. 6.

Carolo Parvo, quem successorem antea designaverat, ad capessendum Regnum Neapolitanum dimisso, a Polonis aequae, ac ab Hungaris impetravit, ut Maria filia in utroque Regno sibi succederet.

Tot rebus praeclare gestis illustri, et plurimarum provinciarum domino, illud fere solum

ad vitae hujus felicitatem deesse videbatur, quod filio careret, quem et amplissimarum ditiorum, et gloriae haeredem constitueret. Neque filiam usque ad A. 1365. habuisse videtur; frater autem ejus Stephanus Transilvaniae Dux, hujusque filius Joannes jam tum diem suum obierat. Itaque Carolum Dyrrachii Ducem in Hungariam vocavit, et Croatiae, Dalmatiaeque praefectum, successorem suum designabat. Interim susceptis ex altera uxore tribus filiabus, his fovere volens, Carolum ad capessendum Regnum Neapolitanum dimisit; Joannae enim, quod Clementi VII. Antipapae studeret Urbanus VI. Pontifex dignitatem Regiam abrogavit. Carolus antequam discederet, jurejurando eavit: nunquam se provincias Ludovici filiarum ambiturum. Acceptis deinde a Ludovico suppetiis, et sumta Romae a Pontifice corona, Joannam Neapoli in potestatem redactam, laqueo in carcere perimi jussit, Regnumque Neapolitanum contra Ludovicum Andegavensem, a Joanna adoptatum, sibi asseruit, Ludovicus, remoto Carolo, a Polonis aequae, ac Hungaris impetravit, ut Maria filia in utroque Regno sibi succederet, qua Sigismundo Marchioni Brandeburgico desponsata, Proceres Poloniae Zolium evocavit, a quibus postquam jusjurandum pro filia exegisset, ejus sponsum in Poloniam misit, ut exortos ibi motus componeret. Ipse Zolio reversus A. 1382. Tyrnaviae e vita excessit, sepultus Albae Regiae. (a)

(a) Chron. Thorocz. P. 5 C. 31.—55. Hatona T. 10, Palma T. 2. edit. alt. p. 120.—129.

Duas uxores habuit: Margaretam Caroli IV. Imperatoris et Elisabetham Stephani Bosniae Bani filiam, ex quarum altera, praeter Catharinam, dum tenera esset aetate, exstinetam, Mariam, et Hedvigem suscepit, illam Sigismundo Imperatori, Regique Hungariae nuptam, hanc Uladis-lao Jegelloni Poloniae Regi collocatam.

Maria Rex XXVII. ab A. 1382. — 1386.
= 4.

§. 1.

Maria Rex ab Hungaris appellata, sub cura matris Elisabethae fuit. Haec Polonis Sigismundi severitate offensis, Hedvigem filiam Reginam dare coacta est. Quum unius Nicolai Gara Palatini consilio omnia ageret; Hungaros quoque multos a se, et filia avertit.

Maria Ludovici M. filia, consensu Ordinum, quod parem decessoribus acceperit potestatem, Rex dicta est. Cum ferendo tot Regnorum oneri, per aetatem impar videretur, Tutricem accepit matrem Elisabethem, Nicolao Gara Palatino in communionem consiliorum adseito. Initia domi pacate se dabant: foris alia facies. Tvardus Ludovici beneficio Regis titulum in Bosnia adeptus, contemto faeminarum imperio, Chel-mensem Comitatum cum Cataro Dalmatiae urbe, Lazarus Serviae Despota Belgradum occupavit; Hungari quidam Russiae Rubrae Praefecti plures arces, quibus praecerant, Lithvanis vendide-

runt, variis propterea poenis ab Elisabetha mul-
tati: irritati a Sigismundo Poloni, quod invisos
ipsis Magistratus remove nolle, non prius
quieverunt, quam Elisabetha loco Mariae A. 1304.
Hedvigem eis Reginam dedisset, quae Jagello-
ni Magno Lithvaniae Duci nubens, sponsum ad
sacra Christianorum adduxit. (a)

Inter haec domi quoque res turbatae sunt,
et desiderari coepta Ludovici fortitudo, ac pru-
dentia. Elisabetham unius Garae Palatini consi-
lio uti; adductos ab eo in suspicionem Proceres
privari honoribus; nationis denique jura violari,
multi aegre tulerunt. Igitur palam tyrannide
conqueri, coire inter se, de abrogando Mariae
imperio, consilia conferre. Haec quidem, publi-
cae concordiae causa, A. 1384. Andreae II. pa-
tris sui Decretum, quod immunitates Nobili-
um complectitur, confirmavit; Regnum tamen
minime tranquillum erat, dum illud tandem Ca-
rolo Parvo cedere cogeretur.

Carolus II. Parvus Rex XXVIII. dieb. 39.

§. 2.

*A male contentis Neapoli evocatus, in-
juste ereptum Mariae Regnum post
triginta novem dies, Elisabethae et
Nicolai Gara insidiis circumventus,
una cum vita amisit.*

Turbis in dies ingravescentibus, male con-
tentorum capita: Paullus Horváth Zagrabiensis

(a) Thurocz de Carolo Parvo C. 1. Dlugossus
L. 10. Katona T. 11. (b) Thurocz. l. c.

Episcopus, hujus frater Joannes Croatiae Banus, Stephanus Latzkovits Transilvaniae Vayvoda, et Joannes Palisna Auranae Prior, muliebri imperium aversati, Carolum Parvum Regem Neapolitanum, Ludovici Dyrrachii Ducis filium, ad capessendum solium invitarunt, ac die 31 Decembris A. 1385. praesentibus Reginae Albae Regiae inaugurarunt. (a)

Sed injuste occupatum Regnum non ultra triginta novem dies tenuit: Nicolaus enim Garaultos Hungarorum sibi infensos esse sentiens, et simul ereptum dominatum aegre ferens, ejus perdendi consilium cum Elisabetha inivit. Haec descripto cum suis caedis patrandae modo, Carolum simulata laetitia, et quotidiana familiari consuetudine prius insigniter delusum, ad conclave suum evocat, quasi litteras a Sigismundo e Bohemia missas, cum eo communicatura. Rex nihil fraudis subesse ratus, sine mora venit, circa vesperum, in comitatu paucorum Italarum, qui, dum inter colloquendum tempus produciuntur, tedio capti, in partes diversas disperguntur: tum Blasius Forgats, magni muneris promissione, ad facinus perpetrandum conductus, lethalem iectum in Carolum vibrat, et a vertice capitis oculum usque vulnus infligit, a caede perficienda, Horvathii manu impeditur. Postridie Carolus Visegradum desertur, et inter horrendos cruciatus moritur A. 1386. Sepultus est in

(a) Thurocius de Carolo Parvo. Carmen Laurentii Monacis de casu illustrium Reginarum apud Ratona T. 11. p. 110. et seqq.

monasterio S. Andree infra Vissegradum sito, documento futurus: eos, qui contra fas, et jurisjurandi fidem, aliena invadunt, sua etiam amittere, ac tristem vitæ exitum habere consuevisse. (a)

Ex uxore Margareta, Caroli Ducis Dyrrachii, qui jussu Ludovici M. caesus erat, filia, reliquit Ladislaum Regem, et Joannam II. Reginam Neapolitanam.

§. 3.

Reginae, resumto imperio, quum turbas in Illyrico ab amicis Caroli excitatas, praesentia sua componere vellet; ab iisdem captæ, et Novigradi inclusæ sunt, ibi Elisabetha caesa est. Ne Maria Neapolim ad caedem mitteretur, impediverunt Veneti.

Sublatò e vivis Carolo, Reginae imperium resumserunt. At non multo post. clientes, et amici Caroli gravissimas in Illyrico turbas dederunt Ladislao Caroli filio Rege proclamato. Malo remedium allatura Elisabetha, svasu Palatini, cum filia, et multis Proceribus ultra Dravum profecta est, ubi cum per loca infesta nimis secure iter faceret, prope oppidum Diako, et Gara seditiosi eam repente obruunt, viae comites alios capiunt, alios in fugam agunt, alios obtruncant: matrem cum filia Regina in arcem Gomechiam. tum Novigradum deducunt, et carceri includunt: Palatini Gara, et Forgatsii capita

(a) Thuroczius l. c.

Neapolim ad viduam Caroli, et filium Ladislaum mittunt, istumque magnopere orant, ut vel ipse in Hungariam ad capessendum, morte patris vacuum solum veniret, vel quempiam constitueret, qui se absente Rempubicam gubernaret. Elisabetha brevi, spectante filia Regina, immaniter trucidata est: Mariam factiosi ad Margaretam Caroli viduam missuri erant; nisi Veneti de ejus periculo, edocti, missa continuo classe, mare Adriaticum ita clausum tenuissent, ut nulla navis e Dalmatia Neapolim vela facere auderet. (a)

Sigismundus Rex XXIX. ab A. 1387.
— 1337. = 50.

§. 1.

Tutor primum, et Capitaneus Regni, paulloque post Rex creatus, factiosos ita pressit, ut Mariam liberam dimitterent; qua vivente, Valachos, Moldavos, et Bosnios, qui defece- rant, ad obsequium reduxit: Turcas semel, iterumque victos, a praedis agendis cohibuit, atque ex Valachia ejecit.

Sigismundus Caroli IV. Imperatoris filius, Ludovici M. gener, sicut se vario diversis tem-

(a) Thurocz. P. 4. C. 1. Litt. Sigism. A. 1408. familiae de Gara. datae apud Raton. T. 11. p. 175. Litt. Alberti p. 176. Litt. Mariae A. 1537. apud Pray Hist. T. 2. p. 152. sub a Memor. Pauli de Paulo edit. Schwandt. T. 3. p. 126. 728. Caresinus apud Lucium L. 5. C. 2.

poribus animo praebuit, ita in eo fortunae animadversa est varietas. Ab Hungaris, qui in Reginarum fide manserunt, postquam illae in factiosorum venissent potestatem, Tutor primum, et Cepitaneus Regni creatus, et paullo post, cum ex Croatia quam de uxoris salute sollicitus petierat, rediisset, Regio diademate insignitus est. Nicolao Gara caesi Palatini filio id negotii dedit, ut bello persequeretur factiosos, quibus oppressis, Mariam liberam fore sperabat. Ille seditiosis e Banatu Temesiensi ejectis, in provinciam Sirmiensem transiit, et Joannem Horváth praelio victum, Possegae obsidione tenuit, qui a conatu resistendi deterritus, ea lege se dedit ut captivus custodiretur, dum Mariam liberam dimittendam curaret. Jam tum Elisabetha caesa erat. Sed cum Nicolaus adversum Rascios, quos Machoviae imminere audebat, profectus fuisset: Horváthius, unius perfidia, a reliquis custodibus se subduxit, et in Bosniam demigravit; quem tamen Gara cum exercitu persecutus, ita pressit, ut obsesso a Venetis Novigrado non posset succurrere, cogereturque Joannes Palisna, arci praefectus, suam pactus incolumitatem, Mariam liberam dimittere, quae a Venetis, ac Dalmatiae urbibus per Oratores salutata, Zagrabiam venit: inde a Sigismundo Budam deducta est, pari cum illo potestate regnatura.

Nondum tamen turbarum finis. Illyrici pars in armis adhuc erat: Tvardkus Bosniae Rex seditiosos adjutum ibat: Moldavi, et Valachi impe-

rata facere noluerunt, Sigismundus bello fractos omnes, ad obsequium reduxi: Turcas etiam semel, iterumque victos, a praedis agendis ecohui, atque ex Valachia eiecit. (a)

§. 2.

Post mortem Mariae, scissis iterum in factiones Nobilibus, severitatem in suspectos exercendo, plurimum odium incurrit. Quare cum ad Nicopolim cladem a Turcis accepisset, nec domum rediret: Ladislaus Neapolitanus ad Regnum vocabatur. Redux Sigismundus, severum se rursus ferens, Vissegradi primum, tum Siklo-sini octodecim hebdomadam carcerem toleravit.

Res eo jam adductas, ut tranquillam sperari posset reliquum Sigismundi regimen, consecuta est subita commutatio. Mortua enim A. 1595. et Varadini tumultata Maria, negarunt quidam Sigismundo jus ullum in Regnum esse; quod nec prolem ex illa suscepisset, nec omnium consensu Regnum adiisset. Quare alii Hedvigi, ejusque marito Ulladislao Jagelloni, alii Alberto Austriaco, alii Ladislao Caroli Parvi filio coronam conferendam esse censuerunt. Quorum conatus Sigismundus ut eluderet in Bohemiam profectus, auxilia a fratre suo Venceslao petiit,

(a) Thurocz. P. 4. C. 2. — 6. Dlugossus L. 19. Lucius L. 5. C. 2. et 3. Pray Hist. T. 2. p. 154. — 167.

quibus contra factiosos uteretur, Hungariam illi, si haeredem non relinqueret, pollicitus. Hoc factum magna domi invidia consecuta est, quam ille, reversus, non lenire benevolentia, sed severitate opprimere studuit; nam 22. viros illustres, qui celebratis conventiculis, conjuratorum ei suspicionem praebuere, Budae supplicio affici jussit. Ob quod facinus, cum plus irae, quam utilitati communi parere videretur, in majus odium venit. Id se declinaturum credidit, si virtutis bellicae specimen daret. Igitur florentissimum in Tureas duxit exercitum, et A. 1396. Bajazethi Tarcaram Sultano in campo ad Nicopolim sui fecit potestatem; sed pro laude eadem accepit, et plurimis sociorum amissis, aegre fuga periculum evitavit, secundo Danubio in Pontum Euxinam, inde Constantinopolim se subducens.

Hungari Regem in praelio, aut fuga periisse rati, Ladislaum Neapolitanum ad Regnum vocaverunt. At illo moras neccente, quod tristi patris sui casu terreretur; Sigismundus A. 1398. praeter multorum opinionem, rediit, et licet initio cuncta dissimulaturus videretur; ad extremum tamen, ubi tuta jam quisque omnia putabat, gravissimas ab inimicis suis poenas repetiit. In his Stephanum Latzkovits, praeclare olim de patria meritum, velut perduellionis reum, Crisii ex ipso comitiorum loco sublatum, una cum nepote supplicio addixit. Novorum deinde clientum favore solium sibi firmaturus, tenuioris fortunae Nobilibus bona, quae factiosis ademerat, et honores contulit.

Inde perturbata magis Respublica, et odia in Regem aucta sunt, quae ut eluderet, ab Jodoco Marchione Moraviae auxilia contra factiosos, si quid molirentur, flagitavit, promissa illi quoque, si absque haerede obiret, Hungaria. Reducem e Moravia Sigismundum Hungari, quod libertati suae inimica ejus consilia nossent, A. 1399. in palatio Budensi magno numero adeunt, graviterque reprehensum primo Vissegradi, dein Siklosini includunt, nec prius dimittunt, quam fide Regia promisisset, se nullo praetextu captivitatem suam ulturum, correcturum, quae adhuc perperam egisset, et ex legum praescripto Rempublicam administraturum. (a)

§. 3.

At Ladislaus Neapolitanus a Legato Bonifacii IX. Jadræ Hungariae Rex coronatus, postquam Sigismundus et Hungaros sibi conciliasset, et provincias in fide nutantes composuisset, jus, quod sibi esse credebatur, in Dalmatiam, Venetis vendendo, occasionem dedit, ut haec provincia a Venetis occuparetur. Galliciam, et Lodomeriam Uladislaus Jagello cum Polonia conjunxit.

Ex his malis postquam se emerit, illud aliquamdiu egit, ut fratris sui Venceslai, cui Ordines Germaniae imperium abrogaverant, auctoritatem, et familiae suae honorem tueretur. Ro-

(a) Thurocz. P. 4. C. 6.—12. Pray Hist. T. 2. p. 167.—176.

mam illum ducere constituit, ut a Summo Pontifice Imperii insignibus ornaretur; proficisci vero renuentem, ad Albertum Austriae, ut custodiretur, Viennam misit, ipse interea Bohemiam gubernavit. Tum vero Ladislaus Neapolitanus, ab amicis invitatus, Jadram appulit, ubi a Legato Bonifacii IX. Pontificis Rex Hungariae coronatus omnem fere Dalmatiam, et Croatiam suae potestati subiecit. Sigismundus quidem, postquam et Hungaros sibi conciliasset, et provincias in fide nutantes composuisset, Croatiam totam, Dalmatiae autem partem maxiam ad officium revocavit: at Ladislaus, antequam ea penitus decederet, ut aliquid commodi ex suis moliminibus haberet; Jadram, Auranam Novigradum, et insulam Pagum cum omni, quod sibi esse credebat, in Dalmatiam jure, centum millibus aureorum Venetis vendidit A. 1409. Inde enatum A. 1412. bellum prospere initio gestum est, postea perfidia Ducis, Veneto auro corrupti factum est, ut exercitus noster magnam cladem acciperet, cogereturque Sigismundus quinquentium inducias cum Venetis pacisci, acceptis a Republica 200. millibus aureorum. Postea vero cum magnos in diversa itinera sumtus faceret, deessetque pecunia, hanc temel ac iterum a Venetis mutuam sumsit. Illi igitur, in dies latius ditio- nem suam in Dalmatia proferebant, Sigismundo, quod ipsorum debitor esset, dissimulare coacto. Anno demum 1453. urgentibus Regni Ordinibus, armis recuperare Dalmatiam statuit; sed cum eodem anno ab Eugenio IV. Pontifice Venetiis ori-

undo, Romae Imperii coronam acciperet, peculiaris gratiae instar promisit: se illius populares per quinquennium bello non appetiturum. Ita magna pars Dalmatiae Venetorum subiit potestatem. (a)

Jam tum Russia Rubra, Galliciam, Lodomeriamque complexa, pridem ad Polonos pertinuit, hanc enim Uladislaus Jagello, Rege nostro frangendis rebellibus distento, suo imperio subiecit, neque arbitri A. 1411. et sequente utrinque lecti, litem de illa diremerunt. Ita demum inter ambos Reges convenit: ut Polonis pareret, dum arbitri decreverint, ad Hungarosne an ad Polonos majori jure pertineat: neque tamen controversia suscitetur, quam annis quinque ab obitu Regis utriusque volutis.

Moldaviae quoque Vajvodam a fide Sigismundi Polonus abstraxerat. De hoc ita constitutum: Regi utrique jusjurandum fidei nuncuparet, at si in alterutrum perfidus esset, provincia ejus ex aequo inter Hungaros, et Polonos divideretur. (b).

§. 4.

Sigismundus Imperator creatus, pacem Ecclesiae restituit. Illo enim agente, celebratum est Concilium Constantiae, in quo legitimus Pontifex electus est Martinus V. Proscripta prava doctrina Joannis Vicleffi Angli Joan-

(a) Lucius de Dalm. et Croat. L. 5. C. 5. Pray. Annal. P. 2. p. 228. — 45. Hist. T. 2. p. 214. et 215. (b) Tabulae foederis apud Pray Annal. P. 2. p. 252.

nes Husz, et Hyeronimus Pragensis haeretici pertinaces combusti sunt. A morte fratris sui Venceslai, Sigismundus pro Bohemia diuturnum, molestumque cum Hussitis bellum gessit.

Mortuo interea Ruperto Palatino Rheni, Ordines Germaniae A 1410. Sigismundum Imperatorem elegerunt, quo ille honore ornatus, id praecipuo studio egit, ut pacem Ecclesiae restitueret, sublato schismate, quo jam annis 55. afflieta fuit. Igitur toto orbe Christiano tres inter Pontifices scisso, cum nullus aemulorum dignitate prior decedere vellet; Joannem XXIII. permovit, ad Concilium generale Constantiam indicendum, quo A. 1414. inchoato, Gregorius XII. sponte se dignitate abdicavit; Benedicto autem XIII. et Joanni XXIII eadem auctoritate Patrum abrogata est, et legitimus Pontifex renunciatus Martinus V. In eodem Concilio, damnatis Joannis Vicleffi erroribus, Joannes Husz, et Hyeronimus Pragensis, quod doctrinae suae pravae pertinaciter inhaerent, rogo addicti fuere (a)

Poenae hujus severitas, quam Hussitarum Haeresiarchae dederunt, Sigismundo, quod ipse ejus auctor fuisse crederetur, diuturnum, molestumque bellum conceivit. Mortuo A. 1419. Venceslao Imperatore, Inerte, et a Joannis Nepomuceni supplicio infami, Regnum Bohemiae ad Sigismundum pertinuit, eumque Catholici A. 1420

(a) Pray Annal. P. 2. p. 229.—267.

in arcem S. Viti clam immisit. Regni insignibus decorarunt. Sed sectatores Maszi, Duce Joanne Ziska, diu obstiterunt, quo minus rerum potiretur. Nec prius illi frangi potnerere, quam in Calixtinos, ac Taboritas divisi, duos fortissimos Duces Procopios amisissent (a)

§. 5.

Budae Academiam constituit. Multas arces, et urbes munivit. Rem civilem, et militarem in meliorem formam reduxit. Sed cum aeris penuria laboraret, Marchionatum suum Brandenburgicum vendidit; Lubloviam autem, Podolinum, et 13. oppida Scopusii Polonis pignori locavit.

Sigismundus 50 annis Hungariae praefuit, quo tempore etsi saepius cum adversa conflictaretur fortuna; non defuere tamen ornamenta, et commoda, quae a Rege illo in gentem nostram derivata sunt. Exemplum Ludovici M. secutus, A. 1588. Budae Academiam Scientiarum erexit; Regiam vero Budensem sic excoluit, ut omnium Europae Principum aulas splendore superaret. Urbes multas, et arces validis munitionibus firmavit, in his Belgradum, magno olim praesidio contra Turcas futurum. Latis sapienter legibus civilem aequae, ac militarem statum in meliorem formam redegit; Nobiles ab armorum insignibus Armalistas dictos iisdem praerogativis ornavit, quibus illi fuere usi, qui bona a Regibus obtinuerunt.

(a) Pray p. 271.—523.

runt. Regni libertati, et Nobilium commodis consuluit, stabilem militiam constituendo, quae etiam tempore pacis aleretur. (a)

Quo vero suam, Regnique potentiam dimi-
nuit: susceptis per Germaniam, Galliam, Hispa-
niam, Angliam, Hollandiam, et Italiam peregrin-
ationibus, tantum aeris alieni contraxit, ut
Marchionatum Brandeburgicum, a patre suo ma-
gno pretio emtum, 400. millibus aureorum Fri-
derico Norimbergensi Burggravio vendere, et
Lubloviam, Podolinum, ac 13. Seepusii oppida,
usque Mariae Theresiae aetatem in potestate fu-
tura Polonorum, Uladislao Jagelloni, a quo
740,000. florenorum mutuum sumpsit, pignori da-
re cogeretur. (b)

Restituta demum Ecclesiae pace, et compo-
sitis tam externis bellis, quam internis tumult-
ibus, qui per diuturnam illius e Regno absen-
tiam exorti fuere, (c) aetatis, et laborum pon-
dere fractus, generum Albertum, et filiam Eli-
sabetham Ordinibus Regni commendavit; de uxore
autem Barbara, a perfidia, et vitae licentia
notata constituit, ne umquam e carcere, in quem
paullo ante coniecta erat, dimitteretur: ipse A.
1457. Znoimae in Moravia supremum diem obiit,
tumulo illatus Magno Varadini.

Ad res maximas adgrediendas capacissimi
animi Princeps, Regnum in principio odiis, et

(a) Vallaszky Consp. Reip. Litt. edit. alt. p. 90.
Pray Annal. P. 2. p. 267. Decreta Sigism. in
Corp. Jur. Patrii. (b) Katona T. 12. p. 275.
Pray Annal. P. 2. p. 237. (c) Thurocz P. 4.
C. 21. et 22.

partium studiis distractum, prudentia, et industria ita composuit, ut apud Hungaros, quos olim a se alienos expertus erat, plurimum gratia valeret. Omni artium, et scientiarum genere excoltus, viros litteris deditos liberalitate fovit. Religionis Catholicae amantissimus; assentatores cane pejus oderat: contra sinceros, et aequos factorum suorum censores amicorum loco habuit. (a)

Ex Maria Ladovici M. filia nullam prolem suscepit; ex altera uxore Barbara Hermanni Cillejae Comitis filia, genuit Elisabetham Alberto Austriaco Imperatori, et Regi Hungariae connubio junctam.

Albertus Rex XXX. ab A. 1437. —
1459. = 2.

§. 1.

Rex Hungariae inauguratus, mox Imperator Germaniae salutatus, Bohemiam quoque obtinuit, remoto Casimiro Polono, et Hussitis, qui illi favebant, terrore armorum ad quietem adductis.

Albertus filius Alberti IV. Ducis Austriae, Sigismundi gener, cum uxore Elisabetha Kalendis Januarii A. 1428. Rex Hungariae inauguratus, Imperio quoque brevi, et Bohemia potitus est, remoto Casimiro Polono, et Hussitis, qui illi favebant, terrore armorum ad quietem adductis. Lis tamen de eodem Regno, quod Uladislau

(a) Hatona T. 12. p. 803. Palma T. 2. p. 199.

Poloniae Rex, fratrem suum illo excidisse, non aequo animo ferret, cum morte tantum Alberti finem accepit. (a)

§. 2.

Imminente a Turcis periculo, Budae, praeter alias res, belli gerendi rationem descripsit.

Interea Turcae, vastata pene tota Servia, Belgrado obsidionem minati, curas Alberto injecerunt, ne, si eo potirentur, Hungariam ipsam carperent. Igitur Budam Proceres, et Nobiles convenire jussit, deliberaturos, quid facerent de rebus suis. Ibi Decretum, novem, et triginta sanctionum capita complectens, conditum est. Cetera inter: ut Rex in Hungaria constanter resideret; Palatinus consensu Ordinum eligeretur; exteris neque bona Nobilium possidere, neque dignitates in Hungaria obtinere fas esset, quae solis Hungaris, praeclare de patria meritis conferrentur. Si ab hoste periculum immineret, primo ei miles stipendiarius objiceretur; qui si propulsando impar esset, Nobiles sub signa convenirent. (b)

§. 3.

Contra Turcas profectus, Amurathem II, capta Semendria, Danubium trajicere volentem rejecit. Adfecta valetudine Budam reversus, cum inde Vienneam tenderet, in pago Neszmély obiit.

Soluto conventu, itum est in Amurathem II. Turcarum Sultanum, qui capta Semendria, cum

(a) Pray Hist. T. 2. p. 286.—295. Thurocz. P. 4. C. 25. et 26. (b) In Codice Juris Patrii T. 1. p. 200

Danubium trajicere vellet, a nostris depulsus est. Nec aliud ibi patratum. Ingruente hieme, Sultanus in Graeciam copias reduxit: Albertus adfecta valetudine Budam rediit, unde cum Viennam tenderet, morbum, quem incauto peponum esu au-xerat, lethalem esse sentiens, testamento cavit, ut, si Elisabetha filium ederet, is ab octo Tutoribus, duobus Hungaris, totidem Austriacis, Bohemis, et Moravis educaretur; et mox in pago Neszmély A. 1439. diem supremum obiit, sepul-tus Albae Regiae. Fuere, qui dicerent, venenum ei a socru Barbara, aut a Venetis porrectum, mor-tem conscivisse. De hoc plerique scripserunt: exemplum optimi Principis futurum fuisse, si vi-tam longius produxisset. (a)

Ex uxore Elisabetha reliquit Annam Vilhelmo Duci Saxoniae, Elisabetham Casimiro IV. Polo-niae Regi collocatas, et Ladislaum Posthumum Hungariae Regem.

Uladislaus I. Rex XXXI. ab A. 1440. —
1444. = 4.

§. 1.

Elisabetha Regni haeres consensit, ut Ula-dislaus, cui ipsa nuberet, e Polo-nia evocaretur; edito vero in lucem Ladislao Posthumo, mentem mutavit, et infantem corona cingi jussit. Sed Uladislaus multos, et potentes ami-cos habuit, qui ipsum non consveta corona inaugurarunt, et Ladislai in-inaugurationem irritam declararunt.

(a) Thurocz. P. 4. C. 27. Pray Hist. T. 2. p. 293. —
305.

Sublato e vivis Alberto, ad viduam ejus Elisabetham jus Regni pertinuit; ita enim Ordines decreverant, dum ambos conjuges biennio ante inaugurarent. At cum haec coram Proceribus Budae congregatis, et de statu Regni consilia inter se conferentibus, se dirigendis Regni habenis imparem profiteretur, moneretque, ut alium Principem quaerent, qui ad ferendas tanti Regni curas, faemina magis idoneus esset: visum est plerisque, evocare e Polonia Uladislauum Jagellonis filium, conciliatis inter illum, ac Elisabetham nuptiis ita, ut si masculam prolem Regina ex Alberto in lucem ederet, haec Bohemiam cum Austria obtineret, liberi e novo connubio nascituri, Hungariae haeredes essent. Ad quod consilium cum Regina haud invisit accessisset, continuo missi sunt, qui Uladislauum adducerent. Illis abeuntibus, Elisabetha, prius faeminam se utero gerere, persvasa, Ladislauum filium edidit. Huic igitur Hungariam conservare volens, mentem mutavit, aliosque legatos dimisit, qui referrent prioribus, Regem Hungaris jam natum esse; ne quid proinde, cujus caussa missi erant, porro cum Polonis tractarent; alioquin quidquid adhuc egissent, irritum fore. Sera tamen jam haec fuere imperia; Uladislauus enim, vocantibus morem gerens, conditiones quas legati proposuerant, suo, et Procerum suorum nomine ratas habuit, brevi in Hungaria adfuturus. Tum vero Proceres duas in partes scissi sunt, aliis Uladislao, Elisabethae, et Ladislao Posthumo aliis faventibus. Hi Albae Regiae collecti, die 15. Maji A. 1440. infantem
sacra

sacra corona; illi mense Julio Uladislauum alio diademate, quod sacrum in Elisabethae esset potestate, insigniverunt, atque hanc inaugurationem legitimam, Ladislai Posthumi irritam solenni Decreto pronunciarunt. (a)

§. 2.

Inde bellum civile natum est, quo durante, Elisabetha, acceptis 26,500 aureis, coronam sacram, tum Sopronium cum vicinis civitatibus Friderico III. Imperatori pignori dedit, et filium ipsum ejusdem curae credidit. Confecta cum Uladislao pace, repente obiit.

Inde bellum civile natum est. Elisabetha Ladislao Gara, et Joanne Giskra Ducibus potissimum usa, conductisque copiosis Bohemis, ac Moravis, eum nervum rei gerendae non haberet, 26,500 aureos a Friderico III. Imperatore accessit, et pro hac pecuniae summa coronam Regni, Sopronium, aliasque civitates, et arces pignori dedit, filium ipsum Caesaris curae, ac tutelae credidit. Quod factum tanta invidia consecuta est, ut multi, quos antea fidissimos experta erat, ab illius fide ad Uladislauum deficerent.

Inter haec Julianus Cardinalis, ab Eugenio IV. Pontifice missus, superatis difficultatibus, non minus Elisabethae, quam Uladislai animum ad concordiam permovit, remque eo adduxit, ut Uladislauus Elisabetham Jaurini, haec illum Budae

(a) Thurocz. P. 4. C. 25.—31. Callimachus de rebus Uladislai L. 1. Ratona T. 13. p. 14. et seqq.

adiret litemque molestam. et bellum sibi, ac Reipublicae noxium ita terminarent: Ut Uladislavus Reginam conjugio sibi quam primum jungeret, et Ladislaum Posthumum, una cum corona a Friderico reciperet. Verum secuta brevi A. 1442. Elisabethae mors rem omnem, quae ad pacem pertinebat, evexit. Fridericus enim non modo pupillum in sua potestate tenuit; verum etiam specie tuendarum ejus partium, Bohemis in Hungaros concitatis, belli flammam tamdiu aluit, donec Uladislavus, expeditionem contra Turcas suscepturus, biennales cum ipso, et Bohemis inducias pactus fuisset. (a)

§. 3.

Interea Joannes Hunyadi insignes victorias de Turcis referebat. Quare et Uladislavus, factis cum Friderico Caesare induciis exercitum contra illos duxit, quo Hunyadius prudenter usus, usque ad limites Thraciae inter continentes victorias penetravit.

Dum bellum civile per Hungariam saeviret, Turcae latius in Europa imperium suum protulere; jamque tributo subjectis Moldaviae, et Valachiae Vajvodis, Belgradum in obsidione tenebant, longius inde progressuri, nisi Joannes Auranae Prior septem mensibus oppugnantium conatus lu-

(a) Thurocz. P. 4. C. 31. 32. 55. 34. 39. Dlugossus L. 12. Callimachus L. 1. et 2. Pray Annal. P. 2. p. 349. Kollár Annal. Bibl. Vindob. T. 2. p. 845.—870. Aeneas Sylvius in rebus Friderici Imp. apud Hollár Analect. T. 2. p. 116.

sisset, et Joannes Hunyadi Transilvaniae Vajvoda, Severinensis Banus, Comes Temesiensis, et Nandor Alhensis Capitaneus ferocium impetus saepius repulisset. Hic prudens rei militaris, et diligens Imperator, virtute honores consecutus, jam A. 1440. ad Belgradum in Servia magnam cladem Turcis intulit, et anno sequente dum magno impetu in Transilvaniam ruerent, 13,000 caesis, ceteros profligavit, et Moldavos, atque Valachos ab eorum clientela abstraxit. Pari se virtute A. 1442. praebuit, deletis ad Portam ferream cum Duce Abedino multis millibus barbarorum. Tam laeti successus Uladislauum quoque moverunt, ut in illos nominis Christiani hostes florentissimum exercitum duceret, quo Hunyadius prudenter usus, Sophia, et aliis civitatibus expugnatis, usque ad limites Thraciae penetravit inter continentes victorias: ultima Carambegus Dux, 30 suorum millibus desideratis, in manus nostrorum incidit: Uladislauus triumphans Budam rediit. (a)

§. 4.

His excitati plures Principes Christiani foedus cum Uladislao iniverunt, ad Turcas ex Europa ejiciendos, quorum res nec in Asia tutae erant. Avertit a se periculum Amurathes, factis cum Uladislao induciis in annos decem Szegedini

(a) Thurocz. P. 4. C. 55. 36. 37—40. Litt. Ladisl. Posth. apud Pray Annal. P. 3. p. 125. Callimachus L. 2.

Tot victoriarum fama cum per Europam percrebuit, Eugenium IV. Pontificem, Genuenses, Venetos, Joannem Palaeologum Orientis Imperatorem, et Georgium Castriotam Epiri Principem excitavit, ut ad Uladislai societatem se se applicarent, quod Hungarorum fortitudine, et virtute Hunyadii tota Europa ejici posse Turcas crederent. Qui cum vires, et bellum in illorum perniciem comparant, Amurathes II. quod nec in Asia res satis tutas videret, Caramaniae enim Praefectus Pontum, et Bythiniam, arrepta tyrannide infestabat; ne utrinque ancipiti premeretur periculo, pacem per legatos Uladislao obtulit, quaecumque occupasset, praeter Bulgariam, se restitutum pollicitus. Plerique Proceres paci servendum putavere, ipse etiam Hunyadi, alias belli in Turcas appetens; quod et conditiones Hungariae utiles proponerentur, et hanc sumptibus exhaustam, tranquillam esse oportere, ut relevaretur, intelligerent. Igitur A. 1444. induciae factae sunt Szegedini in decennium, quas Uladislaus aequae, ac Turcae se sine dolo observaturos jurarunt. (a)

§. 5.

Sed Uladislaus inducias, quas foederati non probarunt, abruptit, instauratoque bello, cum Turcis ad Varnam congressus fortiterque dimicans, jam jam victor, occubuit.

(a) Callimachus L. 3. Thurocz. P. 4. C. 41. Pray Annal. P. 3. p. 15. et seqq.

At Principes foedere juncti, eas inducias non probarunt, quod opportuna occasio intercepta esse videretur, Turcarum potentiam deprimendi. Quare cum Turcae in restituendis, quae promissere, justo tardiores essent, facile Uladislaus Juliano Cardinali morem gessit, ut bellum eodem anno instauraret, ductis ad ipsa Ponti Euxini littora paucis quidem, sed selectis copiis. Amurathes comperto periculo, ex Asia reduxit exercitum. Commissum est praelium ad Varnam, felici primum nostrorum successu; ter enim hostes cedere coegerunt; sed cum incauto fervore, eosdem longius, quam par erat, insequuntur, Uladislaus alia parte circumventus, fortiterque dimicans Regno, et vitae finem fecit die 10. Novembris A. 1444. Caput a cervice rescissum, hastaeque adfixum nostri ut adspexerant, in apertam fugam conjecti, multisque erroribus acti, qua cui commodum erat, evasere. Julianus Cardinalis in fuga a Valachis caesus est. Hunyadi, trajecto Danubio, in Valachiam veniens, a Vajvoda provinciae retentus, mox tamen liber dimissus est. Amurathes victo, quam victori similior, 80 enim suorum millia amisisse fertur, collectis vasis, et spoliis, domum rediit. Talem vitae exitum Princeps nobilissimus habuit, qui documento esse potest: nec fidem publicam umquam violandam esse, nec Regum vitam temere discrimini esse objiendam. (a)

(a) Callimachus l. c. Chalcocondylas apud Stritterum T. 3. P. 2. p. 727.—738. Thurocz. P. 4. Cap. 42. et 43.

Ladislauſ Posthumus Rex XXXII. ab
A. 1445. — 1457. = 12.

§. 1.

Cum Fridericus III. Caesar Ladislaum Posthumum, Regem ab Hungaris electum, dimittere nollet, Joannes Hunyadi Gubernator constitutus est. Hic Valachiam, et Moldaviam clientelae restituit. Jaurinum a Caesare recepit. Cum Turcis in campo Merularum, cum Bohemis Giskraianis in superiore Hungaria minus prospere, et cum periculo pugnavit.

A clade Varnensi, post multas vicissitudines redux Joannes Hunyadi, multo aliter, ac sperabat, Rempublicam se habentem cognovit; nam et Bohemi, cum miles patrius domo abesset, caedes, ac rapinas exercuerant, et Laurentius Hederváry Comes Palatii, inquieto vir ingenio, factiones, atque dissidia inter Optimates, ac Nobiles excitaverat. Auctore tandem Hunyadio, quid Rege factum esset, et qua parte Respublica laboraret, optime gnaro, A. 1445. in comitiis Pesthensibus Ladislauſ Posthumus Rex electus est, quem cum Fridericus Caesar ab se dimittere nollet: anno sequente idem Hunyadi Gubernator creatus est Regni Hungariae, praescriptis legibus, ne potestatis suae limites excederet.

Cilejensem Comitum, quod Episcopatum Zagrabienſem invasisset, et Auranam occupasset, parte bonorum mulctatum, ad pacem petendam

jam prius coegerat : Gubernatoris vero dignitate ornatus, Draculam Valachiae Vajvodam, quod in Transilvaniam irrupisset, a suis desertum, in fugam coniecit, eique Danum, postquam hic Draculam captum trucidasset, surrogavit ea lege, ut se clientem Regis Hungariae profiteretur; ejus exemplum Moldaviae Vajvoda est secutus.

Reduci ex Valachia res cum Friderico fuit, a quo, vastata Austria, Stiria, Carinthia, et Carnioli, Jaurinum recuperavit, Ladislao, dum adlesceret, in ejusdem potestate relicto, permisaeque Caesari, hujusque fratri Alberto parte regionis ab Elisabetha pignori datae, dum pignoris rationes illustrarentur.

Deinde cladem Varnensem ulturus, A. 1448. Turcarum 80,000. cum 26,000. suorum in campo Merularum adortus, primo praelio victor, concerta altera pugna, 8,000. amissis, cruentam Turcis victoriam reliquit, quorum 34,000. occidisse feruntur. Exercitum a clade residuum quum Istrum versus duceret, a suis paullum divertens, in duorum Serviorum manus incidit, quorum altero obruncato, altero in fugam verso, periculum heroica fortitudine a se removit. Sed mox in aliud venit; nam cum Belgradum peteret, Hascius ad iter monstrandum conductus, Semendriam ad Georgium Despotam ipsum detulit, a quo non ante dimissus est, quam Ladislao filio natu majore obside dato. Mathiam natu minorem filiae Ulrici Cilejensis se desponsurum promississet. Conjugium hoc, sponsa matura morte sublata, non coaluit; Ladislaum vero filium Guber-

nator, bello persequens Despotam, anno sequente recuperavit.

Inde adversus Bohemos itum est, qui Duce Giskra in superiore Hungaria grassati, Hussi quoque errores propagabant. Hic etiam Hunyadi grande periculum adivit; nam cum Losontzinum obsideret, vicinorum Comitatum Magnates, et Nobiles, quos cum militum supplementis adesse jusserat, eo momento perfide ipsum deseruerunt, quo Giskra nocte intempesta Hungarorum castra adortus erat. Quare cautius deinceps, et nonnisi cum suis rem contra Bohemos gerebat, receptisque nonnullis oppidis, cum nulla auxilia obtineret, novis suppetiis firmato Bohemo, pacem cum Giskra sanxit, promissis illi decem millibus, et sexcentis auri florenis. (a)

§. 2.

A Ladislao Rege, quem Caesar Neostadii obsessus, ab se tandem dimisit, Perpetuus Comes Bisztriciensis creatus, Ulricum Cilejensem, sub cujus cura Rex adolescens erat, perniciosissimum aemulum habuit.

Detecta turpi illa ad Losontzinum perfidia, Optimates, et Nobiles inter se discordes, et sibi

(a) Thurocz P. 4. C. 44.—49. Aeneas Sylvius Epistola 63. et 81. Katona T. 13. p. 403 et seqq. Notae Ivanichii apud Schwandtnerum T. 2. p. 17. et seqq. Codex Juris Patrii T. 1. p. 205. Joannis Zrenda Epistolae apud Schwandtnerum T. 2. p. 40.—66. Pray Annal. P. 3. p. 42.—85. Chalcondylas apud Stritterum T. 5. P. 2. p. 739. et seqq.

non paucos infensos esse sentiens, abdicare se dignitate, dummodo honesta quadam ratione posset, desideravit. Si Ladislaum Regem a Friderico reciperet, oportunnissimum fore arbitrabatur. Quapropter cum Austriacis, Bohemis, et Moravis foedus percussit, qui omnes Ladislaum Friderici curae exemptum desiderabant. Anno 1452 obsessus Neostadii Caesar, et commeatu interclusus, Regem Ulrici Comitis Cilejensis curae creditum, ab se dimisit, qui ex hoc tempore Rempublicam aliorum magis arbitrio, quam suo capessens, Austriam Ulrico, Bohemiam Georgio Podiebradio gubernandum tradidit; Hunyadium vero non modo in dignitate confirmavit; verum etiam Perpetui in Transilvania Bisztriciensis Comitis honore excoluit. At Hunyadius cum virtute magnam ubique gloriam consecutus esset, non minorem invidiam Ulrici exceptit; hic enim ut suo arbitrio omnia ageret, res ab aula serias removit, et cum Regem ad quidvis agendi licentiam excitaret: tum atroces plane suspiciones illius animo de Joanne Hunyadi ingerens, persuadere conabatur: Hunyadium ad Regiam dignitatem adspirare, qua si potire non posset, ad Turcas evasurum, proditorem eum potius, quam Gubernatorem esse, qui duos exercitus, et praecipuam Hungaricae Nobilitatis partem, una cum Rege Uladislao Turcis prodiderit: nunc quoque opprimi potius ab ipso gentem Hungaram, quam gubernari. Quae criminationes tantum pondus aequo Regem habuerunt, ut in Hunyadii necem, modo clam patraretur, consentiret. Id negotium

Ulricus in se recepit: sed in ipso insidiarum loco deprehensus, cum vitam amittere potuisset, graviter ab Joanne objurgatus est. Regi vero licet opera Archiepiscopi Strigoniensis Gubernatori conciliato, sinistra tamen suspicio eximi non potuit, cum Mathiam Hunyadii filium, specie quidem honoris, re ipsa in pignus paternae fidei apud se detineret. (a)

§. 3.

Hunyadi nihil a Reipublicae studio remittens, Mohamedem II. Turcarum Sultanum, everso Imperio Graeco, Belgradum capere volentem, cum ingenti glade semel, ac iterum rejecit, et brevi cum magno bonorum omnium dolore decessit.

Interea Mohammedes II. Turcarum Sultanus Constantinopolim Graeci Imperii caput A. 1455. expugnavit; quae res cum Hungaros, tum universos pene Principes Christianos gravi metu complevit. Itaque a Joanne Capistrano, viro eloquente, ex Ordine S. Francisci incitati, communem hostem armis Europa exigere decreverunt. Sed Joannes Hunyadi, non expectatis exterorum auxiliis, Turcas, capta urbe Semendria arcem obsidentes, sola adventus sui fama inde removit: postea in Bulgariam digressus, Ducem cum pluribus militiae Praefectis cepit, et fugi-

(a) Aeneas Sylvius in Hist. Bohem. C. 58.—64. Gerardus de Roo L. 5. et 6. Thurocz. P. 4. C. 51. et 53. Pray Annal. P. 3. p. 83. — 144.

entes barbaros Vidinum usque persecutus est. A. 1455. Illi, postquam Hunyadi in Hungariam redisset, resumtis armis 200. millia Belgrado admovent. Rege, Ulrico, et praesertim Serviae vicinis Hungaris de salute pertimescentibus, Hunyadi celeriter copias contrahit, et cum Joanne Capistrano Cruce signatorum Duce conjunctus, in Serviam irruit, Mohammedem Sultanum clade adficit, et fere 25. millibus hostium caesis, urbem obsidione, Regem metu liberat. Nec multo post A. 1456. morbo correptus, Proceresque, et filios ad fidem Regi debitam, et concordiam cohortatus, supremum diem obiit, insigni per omnem vitam edito documento: virum probum, et patriae amantem, etsi inimicorum injuriis, insidiisque pateat, et multis casibus adversis jactetur, a caritate patriae, et fide Principis nunquam recedere debere. (a)

§. 4.

Ulricus odium, quo in Gubernatorem ferebatur, in ejus filios provexit; quos cum perdere conaretur, a Ladislai Hunyadi familiaribus Belgradi caesus est, quum orta contentione, ipse prior ensem in Ladislaum vibrasset.

Soli fere Ulrico mors tam praeclari civis jucunda accidit, qui a Rege Gubernator Hungariae renunciatus, ut duos Joannis filios Ladislaum, et Mathiam perderet, omnia experiri statuit. Ita et

(a) Thurocz. P. 4. C. 52. 55. — 57. Litt. Hunyadii apud Pray Annal. P. 3. p. 145.

sibi, et illis malum conscivit. Accidit, ut Rex, celebratis Futakini comitiis, Belgradum cum Ulrico diverteret, Turcicae cladis vestigia lustraturus; quo illic agente, Ladislaus Hunyadi de Gubernatoris in se odiis, et in perniciem suam moliminibus certus, statuit, vel obstringere sibi aliquo pacto hominem, vel vim antevertere. Quapropter die S. Martino sacra, cum Rex Divinis officiis vacaret, eundem specie negotiorum tractandorum, in conclave suum evocat, ingredientem amice salutatur, et mox queri incipit de ejus, olim quidem erga patrem, et nunc in se odiis: leni exprobratione irritatus Ulricus, Hunyadios perfidos, ac rebelles appellare: ex contentione enata rixa, Ulricus prior ensen in caput Ladislai vibrat; sed hic opposita ingente annulo armata dextera, fatalem ictum, quamquam vulneraretur, declinat: strepitu, et clamore excitati Ladislai familiares accurrunt, et Ulricum, etsi lorica sub veste armatum, multis vulneribus confodiunt, hominem non minus sacrae, quam profanae Reipublicae noxium, discordiarum inter Regem, ac subditos satorem, dignum, in quo florentissima Comitum Cilejensium tsirps desineret. (a)

§. 5.

Rex a Comite Ladislao, hujusque matre Elisabetha Silágyia placatus, se Ulrici mortem nunquam vindicaturum promi-

(a) Aeneas Sylvius in rebus Friderici apud Kollár Analect. T. 2 p. 463. Bonfinius Dec. 5. L. 8. Thurocz. P. 4. C. 58.

sit. Sed a Ladislao Gara in transversum actus, Ladislaum Hunyadi Budae capite plecti jussit; fratrem ejus Mathiam in vincula conjectum, inter gravissimos tumultus, ab Hunyadianis amicis concitatos, Pragam abduxit, ubi ipse repente obiit.

Rex etsi carissimi sibi hominis necem aegerrime ferret, et ipse de salute sua pertimesceret; precibus tamen Ladislai Hunyadi, hujusque matris Elisabethae Szilágyiae motus, se Ulrici mortem nunquam vindicaturum promisit: et ut Budam rediit, diu non videbatur facturum quicquam, quod sua fide esset indignum; nam utrumque Hunyadium, qui honoris gratia ipsum secuti sunt, ita benevole complexus est, ut dubitaret nemo, hanc Regis gratiam perpetuam fore. Verum sive quod simulata esset ea benevolentia, sive quod Ladislaus Gara Comes Palatii, caeso Ulrico cognatione junctus, Regis voluntatem mutavisset: quibus maximos favores paullo ante exhibuit, eosdem cum multis Domus Hunyadianae amicis comprehendi, in custodiam dari, et die 16. Martii A. 1457. Ladislaum e carcere eductum, nulla praemissa causae cognitione, neque dato respondendi spatio, sub crepusculum vespertinum, in foro S. Georgii capite plecti jussit. (a)

Cujus caedis fama cum per Regnum esset

(a) Aeneas Sylvius Hist. Bohem. C. 67. et 68. Thurocz. P. 4. C. 59. et 60.

diffusa, Ladislaus Rex in multorum invidiam venit, et graves in Hungaria inferiore turbæ natae sunt, praesertim cum etiam Mathias ad necem destinari crederetur. Elisabetha enim Szilágyia, quam frustra filium a Rege repeteret, quidquid aeris habuit, in militem conscribendum convertit, tantusque brevi exercitus sub signa Michaelis Szilágyi confluit, ut ei a Giskra, quem Rex Szilágyianis opposuit, resisti non posset. Inter belli civilis tumultus, Ladislaus Viennam primo, inde Pragam, ablato secum Mathia Hunyadi, se subduxit, ubi cum Margaretam Caroli VII. Galliarum Regis filiam sponsam expectat, A. 1457. repente moritur, ibidemque tumulatur. Princeps ob insignem pietatem, et morum integritatem, deliciae generis humani appellatus; nam quae perperam sub eo acta sunt, non tam ipsi, per aetatem gravioris consilii inopi, quam male sanorum consiliorum auctoribus, qui adolescentis latus stipabant, jure tribuuntur. (a)

Mathias I. Corvinus Rex XXXIII. ab A.
1458. — 1490. = 32.

§. 1.

Opera Michaelis Szilágyi avunculi sui ad thronum evectus, eique eidem Szilágyius Gubernator additus est, quo ab aula remoto, quin arci Világosvár incluso, factionem Garaianam, quae Fridericum III. Regem Hungariae proclamaverat, armis, et benevolentia dissipavit.

(a) Thurocz. P. 4. C. 61. et 62. Aeneas Sylv. I. c. C. 69. 70. 71.

Mathias Hunyadi Joannis Gubernatoris filius, divisis Procerum studiis, quos Michael Szilágyi armata manu Buda Pesthinum transtulit, die 24-a Januarii A. 1458. a militibus primum, et populo Rex proclamatus est, deinde Procerum suffragia accesserunt, additusque recens electo Regi, quod 15. tantum annos natus esset, in quinquennium Gubernator Szilágyius. (a)

Sed Mathias ut e Bohemia rediit, et aliquot mensibus rerum potitus est, jam tum voluntatis suae tenax, cujus beneficio solum consecutus erat, quod suis imperiis frenos injiceret, ab aula remotum, arci Világosvár inclusit, delecto Joanne Vitéz Varadinensium Antistite, cujus potissimum consiliis uteretur; non multo vero post Ladislao Gara Comiti Palatii, et Nicolao Ujlaki Transilvaniae Vajvodae dignitatem suo arbitrio abrogavit, et illi Michaellem Országh, huic Sebastianum Rozgonyi suffecit. Exactorati contempti se graviter ferentes, plures sensim in societatem adseiscunt, fataque clam conspiratione, amicos Neostadium evocant, Mathiae electionem irritam pronunciant, et Fridericum Imperatorem Hungariae Regem declarant. Quamquam non defuit Mathiae causa, Garam, Ujlakiumque puniendi; id enim egerunt, ne Fridericus Caesar sacrum diadema redderet, quod Mathias, oblata totius aeris restitutione, in principio regiminis repetebat.

(a) Thurocz. P. 4.^oC. 63. Aeneas Sylvius Europae C. 1. Bonfin. Dec. 3. L. 9. Ranzanus Indice 29. Codex Juris Patrii T. 1. p. 213.

Cognito periculo, Sebastianum Rozgonyi, et Simeonem Nagy contra Fridericum, ac seditiosos dimisit: in quo bello Mathias non minus prudentia, quam felicitate fuit adjutus; nam cum virtute militum devicisset hostium exercitum, veniam, et gratiam, pristinasque dignitates factionis ad officium redituris promisit. Qua benevolentia excitatus Gara, primus ad fidem reversus, ceteris exemplo fuit. Ita seditio dissipata est. (a)

§. 2.

Coronam a Friderico non prius recepit, quam solutis 60,000. aureorum, eidem, ac posteris ius in Hungaria succedendi concessisset. Revindicata demum a Turcis Bosnia, inauguratus est.

Coronam a Friderico Caesare non prius recepit, quam A. 1463. sequentibus conditionibus subscripsisset: Hungari 60,000. aureorum Caesari solverent: civitates, et oppida, quae Elisabetha quondam pignori dederat, excepto Sopronio, ad dies vitae in illius potestate manerent, et non nisi eo mortuo, ab Hungaris 40,000. aureorum summa redimi possent. Porro: Mathias Fridericum patris, hic illum filii loco haberet, et eo nomine appellaret: Hungariam Mathias pleno jure possideret; Fridericus Regis Hungariae titulo uteretur: Mathias, mortua uxore, alteram non duceret; si demum non haberet haeredes filios,

(a) Bonfin. Dec. 3. L. 10. Hatona T. 14. p. 161 et seqq.

Hungariam Fridericus, ac hujus posterius obtinent. Ita rediit ad Hungaros corona, quae annis 24. in Caesaris potestate fuit, et Mathias victoria jam de Mohamméde II. Turcarum Sultano, qui occiso Rege Stephano Bosniam occupaverat, relata clarus, eademque provincia juribus sacrae coronae vindicata, A. 1464. cum ingenti nationis gaudio Albae Regiae inauguratus est. (a)

§. 3.

Transilvanos, et Moldavos, ad officium revocavit. Contra Podiebradium Bohemiae Regem, et hoc mortuo contra Uladislaum a Bohemis Regem electum, hujusque fratrem Casimirum, a male contentis Hungaris evocatum ita pugnavit, ut pace Olomucensi titulum Regis Bohemiae, Moraviam, Silesiam, et Lusatiam retineret.

Plura postea gravissima bella confecit. Transilvanos primum, dum a Quaestoribus Regiis et ad militiam faciendam, et ad solvenda tributa cogentur, auctore Benedicto Vörös, a fide Regis Hungariae deficientes; eademque occasione Moldavos, quorum Princeps Stephanus, oppressis aemulis, Turcarum se clientem professus erat, infuso utrique provinciae exercitu, ad obsequium revocavit. (b)

(a) Pray Annal. P. 5. p. 235.—282. Ludovicus Tubero L. 1. C. 5. (b) Pray Annal. P. 4. p. 33. 54. Ranzanus Indice 33. Thurocz. P. 4. C. 66. Bonfinius Dec. 4. L. 1.

At bellum Bohemicum diuturnum, et maximo sumtu gestum, aerarium Regium, Praelatorum Nobilium, ac Regiarum civitatum facultates fere omnes exhaustit. Paullus II. Pontifex, et Fridericus III. Caesar Podiebradio Regi infensi, quod Hussi doctrinam secutus, Catholicos persequeretur; auctores Mathiae fuerunt, ut pro se Bohemiam occuparet. Sed ille, praesertim in principio parum profecit. Anno demum 1469 Olomucii Rex Bohemiae proclamatus, et Brunae desumpta ex icone B. V. Mariae corona incinctus est. Regnum tamen Podiebradius retinuit, idque ut a sua morte Uladislaus, Casimiri Poloniae Regis ex Elisabetha, Ladislai Posthumi sorore, major natu filius consequeretur, effecit. Cum hoc igitur ab A. 1471 Mathiae armis fuit dimicandum Quo tempore altera domi seditio orta est. Auctor Vitézius fuisse traditur, qui cum pluribus aliis, facultates suas inutilibus bellis exhauriri, iniquo animo ferentibus, Casimirum Uladislai fratrem ad Regnum vocavit. Ille, absente Mathia, continuo adfuit superioremque emensus Hungariam, ad Nitriam constitit; sed adventu Regis percussus, imposito arci valido praesidio, rediit, unde profectus erat. Poloni, quos Nitriae reliquerat, fame compulsi, se dederunt. Mathias vero, depulso omni periculo, licet perfidiae crimen solenni diplomate Vitézi condonaverit, eundem a puero optime dese meritum, ac aetate jam gravem, neque sinistri quidquam metuentem, A. 1472 repente comprehendi, ac Vissegradi in carcerem conjici jussit; tum depreecanti-

bus pro ipso Proceribus, dimissum arctissimis limitibus circumscripsit, Joanne Alemanno Agriensium Antistite, dictorum, ac factorum ejus arbitro, et censore constituto. Inde vir prudens, eruditus, et scientiarum, hisque deditorum insignis fautor, tantum animi dolorem contraxit, ut eodem anno exstingveretur. Mathias porro bellum Bohemicum prosecutus, cum variam fortunam experiretur, A. 1479. pacem Olomucensem amplexus est, cujus legibus, Uladislao in Bohemiae possessione manente, ipse Regis Bohemiae titulum, praeterea Moraviam, Silesiam, et Lusatiam obtinuit, quae provinciae, si absque haerede moreretur, ad Bohemiae Regnum redirent, tumque Bohemi Hungaris 40,000. aureorum numerarent. (a)

§. 4.

Fridericum autem Caesarem duplici bello pressum, juri suo in Hungariam renunciare coegit, et cum urbe Vienna omnibus fere Austriacis ditionibus exiit, quas, dum viveret, retinuit.

Nondum confecto bello Bohemico, Austriacum erupit. Ad nuperam seditionem concitandam, non parum contulisse Fridericum, Mathias credidit, cujus vindictam Caesar metuens, duram illam, de non ducenda altera uxore, conditionem ipsi remisit, spe etiam facta, sponsae

(a) Pray Annal. P. 4. p. 31.—127. Bohuslaus Balbinus Epitome Rex Bohem. L. 5. Bonfinius Dec. 4. L. 1.—5.

e Domo Regia obtinendae; verum nec filiam suam petenti dare voluit, et Casimirum Poloniae Regem auctoritate sua permovit, ne filiam suam homini non Regiae stirpis collocaret; cumque Mathias Beatricem Neapolitanam sibi despondisset, splendidas ejus nuptias nec sua, nec legati praesentia dignatus, copias suas Hungariae immisit, nulla injuria provocatus. Ceterum saepe dicere solebat Mathias: neminem, praeter se, Imperatoremque futurum, qui intimam belli causam noverit. Quaecumque arcana illa causa fuerit, Mathias A. 1477. copias Austriae infudit captisque brevi tempore 70 urbibus atque oppidis, Viennam in obsidione tenuit. Discriminis magnitudine percussus Caesar, pacem petiit, eamque opera Beatricis impetravit his legibus: centum millia aureorum quam primum solveret: abdicaret se jure in Hungariam: Bohemiam denique Mathiae, velut feudum Imperii, conferret: hic, quae bello occupavit, eidem redderet, veniaque daretur omnibus, qui durante bello, alterutrum secuti fuere.

Sed pax inter aemulos non diu constitit; nam cum Caesar stipulatam pecuniae summam totam persolvere nollet, neque Mathias ex omnibus Austriae oppidis militem suum eduxit. Inde enata lis arbitris, ut dirimeretur, frustra commissam fuit, Caesare in suo proposito firmo, illis aequorem Mathiae causam defendentibus. Bellum A. 1482 recrudit, dubia fortuna a Ducibus gestum. Postea a Mathia expugnatum est Heimbürgum, et aditus in Austriam occupati ut posset bellum

in quamvis partem circumferre. Capta Vienna A. 1485 militem dimisit, ad reliquam Austriam, Stiriam, Carinthiam, et Carnioliam subigendam; Ordinibus autem Austriae conventum indixit, in quo mitigatis vectigalibus, diminutoque censu, in verba sua jurare illos coegit; subinde vero moderatione, humanitate, aequitate, et sapientia ita sibi omnes devinxit, ut reditum Caesaris non desiderarent, qui instar exulis per Germaniam auxilia frustra corrogabat. (a)

§. 5.

Turcas et per se, et per insignes Duces suos, praesertim Stephanum Báthory, ac Paulum Kinizsi pluribus praeliis fregit, quorum uno in Kenyérmezö Transilvaniae 30. millia barbarorum ceciderunt.

Inter haec cum Turcis quoque saepius felici successu certatum est. Anno 1475 Szabátsium ad Savi ripam situm, caesis quinque hostium milibus, Mathias ipse expugnavit. Alias Mohammed II. sola adventus sui fama ab invadenda Transilvania prohibuit. Anno 1479 Turcarum Duci Ali-Bego, jussu Mohammedis, in Transilvania fere usque Albam Juliam penetranti, opposuit se Stephanus Báthory Transilvaniae Vajvoda, Paulo Kinizsi oportuna auxilia Temesvarino adferente, qui insignes Duces in Kenyérmezö 30 Turcarum millia delevisse perhibentur. Idem

(a) Gerardus de Roo L. 7. et 8. Bonfinius Deb. 4. L. 4.—7. Pray Annal. P. 4. p. 15.—200.

Kinizsi post biennium in Servia cum Turcis congressus, 50. captorum millia in Banatum abduxit. (a)

§. 6.

Civiliprudentia excellens, legum observationem procuraverit; negotia maxime ardua feliciter confecit; fidem, et industriam Magistratum acuit; exterorum amorem, et venerationem sibi conciliavit.

Inter tot bella, neque pacis studia Mathias neglexit, immo omne illud tempus, quo ab armis respirare potuit, iis artibus dedit, quibus Hungariam felicem, florentemque redderet. Sex Decreta ab eo edita in Corpore Juris Patrii supersunt, praeterea Confirmatio Decretorum Andreae II. Ludovici, et Sigismundi, nec non Articuli de Officio Palatini, et Constitutiones Statuum, ac Ordinum in absentia Regis a Regno A. 1474. factae. Multa iis, ad salutem Regni pertinentia, utiliter percipiuntur. Neque vero ferendas tantum curavit leges; sed etiam ut observarentur, effecit; vincebat enim omnes decessores suos cura, vigilantia, patientia, calliditate, et celeritate ingenii. Saepe dum a publicis negotiis vacabat, diversas Regni partes obire, statum Regni exquirere, ac perperam facta corrigere solebat. Si quid durius, veluti tributa, imperandum habuit, non tam auctoritate, quam precibus, et ratione agebat. In Magistratibus consti-

(a) Thurocz. P. 4. C. 67. Bonfin. Dec. 4. L. 3. et 6. Litt. Mathiae apud Pray Annal. P. 4. p. 156.

tuendis, magna prudentia usus, neminem ad hos admisit, nisi fide, et industria cognita, eamque constante sua vigilantia acuere novit. Res maxime arduas, a quarum eventu sua, Regnique salus pendeat, ipse tractavit, neque aliis tractandas credidit. Consilia sua cum paucis, et caute admodum communicabat, ut non intelligerentur, nisi rebus ad exitum deductis. Legatos exterorum Principum singulari benevolentia ita sibi devinxit, ut non minus Mathiae, quam a quibus missi fuere, commoda curarent, ac domum reduces, universum orbem illius laudibus completerent. (a)

§. 7.

Rem, et disciplinam militarem in Hungaria ad summum florem perduxit. Militum amorem, quos legibus parere coegerat, singulari in eorum commoda studio, et eximia benevolentia sibi devinxit.

At vero bonarumne amore artium, an disciplina militari nobilitatus sit magis, dubium ferme reliquit. Hanc certe partim lectione veterum, partim assidua exercitatione eo perduxit, ut ea aetate parem haberet neminem. Militem tumultuarium oneri potius, quam usui esse, expertus, stabilem militiam induxit, eamque quadruplicem: equites gravibus armis instructos, levis

(a) Palma edit. alt. T. 2. p. 566. Plura Bonfin. Dec. 4. L. 7. et 8. Galeotus de egregie, sapienter, jocose dictis, ac factis Regis Mathiae apud Schwandtn. T. 1.

armaturae equites, qui Hussari vulgo vocantur, pedites gravioris, levioris item armaturae. His carissimam sibi legionem Nigram adjunxit. Militem pacis tempore nunquam otiosum passus, in armis diligenter exercuit, cujus exemplum Nobiles ipsi secuti sunt, cum antea, ingruente jam bello, gentes sub signa cogerent. Inexploratores profusus, hostium consilia tempestive edoctus antevertebat, in bello gerendo summa celeritate usus. Rigorem disciplinae militaris, cujus severissimus custos erat, singulari in militum commoda studio, et eximiis benevolentiae signis temperabat, stipendia exacte; numerare, pecuniam alearum lusu aequisitam inter eos distribuere, castra frequenter obire, singulos suis nominibus appellare, sauciorum vulnera obligare, aegrotis cibis praebere, eosdem blandis verbis consolari solitus. Quibus rebus effecit, ut nullae umquam in Hungaria neque exercitatiores copiae, neque magis dicto audientes fuerint Duci. (a)

§. 8.

Academiam novam Posonii instituit; Budensem vero eleganter instauravit; Bibliothecam celeberrimam Budae in palatio suo collocavit; Typographiam primus in Hungariam invexit; exteros viros eruditos magnis praemiis, et honoribus huc allexit.

(a) Bonfinius l. c. Palma l. c. p. 376.

Amorem in bonas artes, et populares suos scientiis excolendi studium, multis modis prodidit; nam A. 1465. Academiam Istropolitanam, seu Poseniensem erexit, a Paulo II. Pontifice confirmatam. Budensem vero a Sigismundo conditam, sed bellorum calamitate jam collapsam, eleganter instauravit. Bibliothecam celeberrimam Budae in palatio Regio collocavit, ita sensim auctam, ut 40 millia voluminum selectorum, auro, argento, et bysso vestitorum complecteretur. In eadem urbem A. 1472. primam Typographiam invexit. Ibidem aedes molitus est tam magnificas, ut 40. millia juvenum, qui litteris operam darent, capere possent; sed eximio huic operi immortalis est. Triginta scribas pingendi peritos aluit, qui excellentiores Auctores Graecos, et Latinos describerent, Bibliothecae Budensi inferendos. In hos 55. aureorum millia quotannis impendisse fertur. Plurimos viros externos, diversarum scientiarum peritos, in Hungariam allexit, sumtibus, etsi maximi essent, nihil parcens. Tanta Regis liberalitas magni vim exempli habuit, ut alii quoque viri opulenti nova litterarum domicilia erigerent, et Bibliothecas compararent. Floruere itaque, regnante Mathia, praeter Academias, aliae quoque scholae: Strigoniensis Joannis Vitézii Archiepiscopi monumentum, Vaciensis singularem patronum nacta Nicolaum de Báthor Episcopum, Bartphenensis, Quinqueecelesiensis, Poseniensis, Albaregalensis, Leutschöviensis, Cassoviensis, etc. Bibliothecae vero, praeter Regiam, Vitéziana

Strigonii, Varadini Episcopalis, et Jani Pannonii Quinqueecclesiis. Eruditae denique Societates altera Budae, in Transilvania altera surrexerunt. (a)

Tam praeclarus Rex, qui omnes Reipublicae partes cura sua complexus erat, podagrae doloribus fractus, cum valetudinis caussa Viennam ascendisset, repentina ira exardescens, apoplexia tactus, tertio die obiit A. 1490. sepultus Albae Regiae.

Princeps eximia in Deum pietate, justitiae, et aequitatis adeo diligens, ut post ejus mortem vulgo diceretur: cum Mathia Rege justitiam perivisse.

Nec ex Catharina Georgii Podiebradii, neque ex Beatrice Ferdinandi Regis Neapolitani filia prolem ullam suscepit.

Ul adislaus II. Rex XXXIV. ab A. 1490.
— 1516. = 26.

§. 1.

E pluribus competitoribus electus, et e Bohemia vocatus, fratrem suum Albertum, ex aemulis unum, promissione Poloniae, et amplissimis in Silesia ditionibus placavit. Cum Maximiliano vero Frederici filio celebrem eam pacem Posonii fecit, qua jura Austriacorum Principum in Hungariam nitebantur.

(a) Vallaszky Conspr. Reip. Litter. p. 206. — 156.

Uladislaus II. Casimiri IV. Poloniae Regis filius a morte Georgii Podiebradii, in Bohemia rerum potitus, solii Hungarici competitores habuit; Joannem Corvinum Mathiae Regis filium, ex Silesia quadam susceptum, Maximilianum Frederici III. filium, et fratrem suum Albertum. Ferdinandus Rex Neapolitanus, Beatricis Reginae viduae pater, per Oratores agebat, ut haec futuro Regi matrimonio jungeretur. Joannes Corvinus compertis Reginae studiis, cum corona, et thesauro Regni in Slavoniam elabi voluit, fortunam inde tentaturus: a Stephano Báthory, et Paulo Kinizsi levi pugna victus, quae auferre secum cupiebat, restituit, postquam Ordines Regni Bosniam cum Regis titulo, Banatum item Croatiae, ac Dalmatiae, nec non Slavoniae, Opaviae, et Liptoviae Ducatus ei promisissent, dummodo quietus Budae comitorum exitum expectaret. E reliquis aemulis, qui summam rerum obtineret, Uladislaus fuit delectus, praecipuo Stephani Zápolyae Viennae Praefecti suffragio, et plurimum agente Beatrice quae connubii cum eodem Rege ineundi spem habebat. Accitus itaque e Bohemia, postquam ratas habuit conditiones, quas Ordines Regni proposuerant, Albae Regiae inauguratus est. (a)

Sed Maximilianus, et Albertus, negatam sibi esse Hungariae coronam, non aequo animo ferentes, statim in principio bellum ipsi fecerunt.

(a) Bonfin. Dec. 4. L. 9. Pray Hist. T. 2. p. 493.
—501. In Cod. Jur. Patrii T. 1. p. 255.

Prior plerasque urbes Austriae, tum Castriferrei, Soproniensem, Veszprimiensemque provinciam, et Albam Regiam occupavit, ab oppugnanda arce Budensi, quod militi stipendia numerare non posset, discedere coactus. Alter semel, iterumque Hungariam subiens, promissione Regni Polonici, et acceptis in Silesia amplissimis ditionibus, pacis consilia secutus est. (a)

Tum vero Uladislaus copias trans Danubium duxit, et quae Maximilianus ex ea parte a Regno avulserat, recuperavit; sed timidus induci non potuit, ut Austriam, tunc milite vacuam invaderet, pacemque amplecti maluit, quam armis diutius contendere. Illam Posonii A. 1491. Maximiliani Oratores praescripserunt: Hungari omnem Austriam, Stiriam, Carinthiam, et Carnioliam dimitterent; quae Elisabetha pignori dederat, Fridericus retineret, hoc mortuo ab Hungaris redimenda 40 millibus aureorum. Iidem centum millia aureorum, sumtis belli, Caesari numerarent. Si stirps virilis Uladislai defecerit, Maximilianus, ejusque posterum in Hungaria regnarent, relicta tamen Hungaris, si plures essent Principes, quem vellent, Regem creandi libertate. Fridericus, et Maximilianus porro Regis Hungariae titulo uterentur. Haec omnia Uladislaus, et Ordines Regni jurejurando, ac solenni diplomate confirmarent. (b)

(a) Tabulae pacis apud Pray Annal. P. 4. p. 231.

(b) Ibidem 245. 247.

Cum hae pacis condiciones in conventu Ordinum legerentur, parum obfuit, quin violentae manus Legatis injicerentur; sensim tamen a Thoma Bakáts inducti, multi ratas habuere. Uladislavus vero non modo singulas probavit; verum etiam 10,000 aureorum debitum, quo sibi obstrictus erat, Friderico remisit, et doti 200,000 aureorum, qui Elisabethae matri suae ex haereditate Austriaca debebantur, sponte renunciavit. (a)

§. 2.

Initio magna prudentiae, aequitatis, et solertiae specimina dedit, ac Turcas per Bartholomeum Drágfi, Paullum Kini- zsi, Joannem Corvinum pluribus cladibus attrivit.

Liber ab aemulis, toto animo Reipublicae negotia complexus, ea prudentiae, aequitatis, ac solertiae specimina dedit, ut nemo dubitaret, Hungariam, eo regnante, felicissimam fore. Latis pluribus legibus, multa, quae ad salutem civium, ad amovendas a tribunalibus fraudes, rectamque judiciorum rationem valerent, sapienter praecepit. Regnum exemplo Mathiae peragravit cujus situm, et indolem, statum civium firmitatemque praesidiorum cognosceret. (b)

Atque hoc tempore, quo tali se virtute Uladislavus praebuit, res Hungarorum bene constitutae fuerunt; neque Turcae ea, qua olim, auda-

(a) Tabulae pacis apud Pray Annal. P. 4. p. 245. 247.

(b) Decreta Uladislai II. in Corp. Jur. Patr. T. 1. Lege Bonfin. Dec. 5. L. 3. 4. 5. Istvánfi. L. 3. et 4.

cia Christianorum provincias carpebant; audendum vero aliquid rati, a Bartholomeo Drághi Transilvaniae Vajvoda, Paulo Kinizsi, et Joanne Corvino plures clades acceperunt. Quare percussa sua potentia, Bajazethes II. Sultanus A. 1503. inducias in septennium exoravit. (a)

§. 3.

Subinde a pristina solertia deficiens, nec sua, neque Regni jura moratus, aerarium, disciplinam militarem, et rem litterariam pessumdedit. Quare lex ab Ordinibus dicta est: Ne exterus umquam Rex eligeretur, si Uladislaus filium non haberet. Sed ea lex, bellum minante Maximiliano abrogata est. Deinde Ludovicus Regis filius inauguratus.

Sed postquam annis fere 15. summam rerum Uladislaus tenuit, in gravem Ordinum Regni invidiam venit; nam a pristina solertia deficiens, et quodam publicorum negotiorum taedio captus, otio se penitus dedit, nihil sua, Regnive jura moratus. Igitur communis quaedam quidvis agendi licentia invaluit; insulae, maritimaeque civitates ad Venetos, Moldavi ad Polonos transiverunt; Moraviae, Silesiae, et Lusatae Nobiles penitus sese ab Hungaris separarunt; exhaustum aerarium, bona Coronae direpta grande aes alienum contractum, et pro hoc fundi castrorum pi-

(a) Decreta Uladislai II. in Corp. Jur. Patr. T. 1. Lege Bonfin. Dec. 5. L. 5. 4. 5. Istvánfi L. 5. et 4.

gnori dati; disciplina militaris pessumdata, et martius gentis ardor exstinctus, quin haec ipsa ad otium, et quae inde consequi vitia solent, universa pene traducta; res litteraria Mathiae studio optime constitutae, quod Rex exiguus litterarum aestimator esset, et ob inopiam Moeccenas esse non posset, prope interiit; ipsa Bibliotheca Corviniana multis partibus diminuta, quod Uladislaus praestantissimos saepe codices, cum alia munera non posset, rudibus etiam hominibus donaret.

Mala haec cum considerarent Proceres, neque Rex remedium adferre velle videretur; in conventu Rákosiensi solenne decretum ediderunt: Numquam esse eligendum Regem exterum, si absque masculo haerede Uladislaus exstingveretur. (a) Id cum Maximilianus Caesar comperisset, A. 1506. exercitum Hungariae infudit, ad edictum Rákosiense revocandum, quo sua in Hungariam jura everterentur, bello Hongaros compulsurus. Miles, et sumtus ad bellum necessarii nostris deerant. Itaque missi ab Ordinibus Regni Viennam Oratores, vetera de successione Maximiliani pacta confirmarunt eo promptius, quod edito in lucem Ludovico, eadem inania reddi posse viderentur. Anno 1508. postquam amissa uxore, satis dolori Uladislaus indulsisset, infantem filium, e consensu Procerum, inaugurandum curavit. (b)

(a) Istváni L. 4. Pray Annal. P. 4. p. 312. Palma T. 2. p. 418. (b) Pray Annal. P. 4. p. 319.—328.

§: 4.

Haud multo post rustici, auctore Thoma Bakáts, ad bellum Turcicum excitati, versis in Nobiles armis, et Georgio Dozsa Rege suo proclamato, grande periculum Regno consciverunt. Dirissime saevientes. Joannes Zápolya in agro Temesien- si interneccione delevit, Dozsamque captum crudeli supplicio adfecit.

Interim crescebant mala communia, dum tandem, exorta gravissima rusticorum seditione, perniciem pene adferrent Reipublicae. Thomas Bakáts Cardinalis, et Archiepiscopus Strigoniensis, obtenta a Leone X. Pontifice facultate, bellum sacrum adversum Turcas promulgavit. Nec mora, ingens agrestis, et otiosae plebis multitudo sub signa Georgii Dozsa confluit; hunc enim virum fortem, et Nobilium numero nuper adscriptum, Bakatsius rusticis Ducem dedit. Vulgo 80. millia crucem, et arma sumsisse perhibentur. Sed cum illa multitudine, Hungariae supplicium daturi Turcae crederentur, vix non ipsi patriae perniciem fuit; nam dum turmatim ad arma concurrentes colonos domini, vi etiam adhibita, ad colendos agros retraherent, illi in hos arma verterunt; ii vero, qui ad Pesthinum convenerant, quod annona deesset, neque stipendia a quoquam darentur, rapinas in fundis Nobilium exercere coeperunt, ob quam licentiam, cum capti quidam durius haberentur, in furorem acti, socios ex aliis Regni partibus accersunt, Georgi-
um

um Dozsa Regem suum pronunciant, ac in Praelatos, Barones, et Nobiles crudelissime desaeviunt.

In tanto discrimine, postquam Nobiles universi arma cepissent, a Joanne Bornemisza, Paulo Tomory, aliisque Ducibus leviter percussos, Joannes Zápolya Transilvaniae Vajvoda, in agro Temesiensi fere internecone delevit, Ducemque cum primipilis captum, crudeli plane supplicio e medio sustulit A. 1514. A clade residuis rusticis, in comitiis Budensibus, arctiores limites circumscripti sunt. (a)

§. 5.

Uladislaus ut Zapolyae ambitionem reprimere, Ludovico filio Maximiliani neptem Mariam, ejusdemque Caesaris nepoti Ferdinando filiam suam Annam despondit, et priora pacta de successione Principum Austriacorum confirmavit.

Gloriam confecti belli rustici tulit Joannes Zápolya, contra cujus molimina, quod Regnum jam palam ambiret, ut se, filiumque suum Uladislaus securum praestaret, Ludovico Mariam Maximiliani neptem, ejusdemque Caesaris nepoti Ferdinando Annam suam filiam despondit A. 1515. Paulo post Viennae sponsioni robur additum, quo tempore Maximilianus Ludovicum inter Principes Austriacos cooptavit. At Uladislaus Vienna reversus, cum podagrae doloribus

(a) Ludovicens Tubero L. 10. §. 5. Istváni L. 5.
Corpus Juris Patrii T. 1. p. 325.

graviter conflictarentur, Sigismundum fratrem filii Tutorem constituit, nec multo post An. 1516. diem supremum obiit, sepultus Albae Regiae. (a)

Ludovicum, et Annam, quorum meminimus, suscepit ex Anna Gastonis Candalae Comitis, filia.

Memoria dignum est, regnante Uladislao II. librum Legum Hungaricarum, quo hodie quoque utimur, a Stephano Verbötzy insigni Jurisperito editum esse.

Ludovicus II. Rex XXXV. ab A. 1516.
— 1526. = 10.

§. 1.

Adolescens accessit ad Rempublicam, cujus bonam indolem quum Georgius Marchio Brandeburgicus depravasset; mala, quae sub Uladislao invaluerant, contempta Regis auctoritate, in perniciem patriae aucta est.

Ludovicus II. Uladislai II. filius, annum agens decimum, patrem amisit: quare cum Sigismundus Poloniae Rex, commendatum sibi a fratre Tutoris munus suscipere nollet; quod misera tum esset Regis Hungariae conditio, exhausto aerario, et magna Procerum potentia, ac aemulatione: Regni simul, et Principis curam Georgius Marchio Brandeburgicus, Thomas Bakáts, et Joannes Bornemisza receperunt. Bakátsii, et Bornemiszae in educando Rege optimus

(a) Tabulae Spons. apud Pray Annal. P. 4. p. 366. 378. 381.

conatus, inanes reddidit Marchio cum aliis, qui sub Uladislao dominari adsvenerunt; veriti enim patre olim sapientior, suo ingenio imperaret, remotis ab aula rebus seriis ludos, choreas, et cetera oblectamenta, quibus tener animus ad voluptates, et quidvis agendi licentiam traducere-tur, proponebant; quibus rebus effecerunt, ut publicorum negotiorum taedio captus, illorum arbitrio regendi onus permetteret, nec umquam factorum rationem exigeret, seu recte, sive perperam egissent. (a)

Inde enata mala plurima perniciem Reipublicae portendebant. Sublata enim Regis auctoritate, Judicum sententiae aliorum contemptae sunt, aliorum effectae venales; leges impune violatae; debiliores a potentibus oppressi; nobilissimae familiae in factiones scissae; exhaustum aerarium, ut Rex egenus semper, ne cohortem quidem Praetorianam, quae mille viris constabat, suo stipendio sustinere posset; publicae pecuniae reditus ab aliis usurpati, aut direpti, magna corruptae monetae vis in Regnum illata; extracta meliore; moneta Hungarica depravata, quod ejus cudendae licentia ad ipsam plebem propagata fuerit. Res, et disciplina militaris pessumdata, ut miles exiguus, rei militaris periti Duces nulli fere essent. (b)

(a) Révay apud Schwandtn. T. 2. p. 704. Istváni L. 6. Pray Annal. P. 5. p. 28. 29 (b) Confirmant haec diversae Constit. in Decretis Ludovici II. Brutus apud Pray Annal. P. 5. p. 29. 50. 70. Tuberio L. 11. §. 4. Istváni L. 6. et 8.

§. 2.

Celebrata saepius comitia non profuerunt. Quare capto a Turcis Belgrado, post prosperas aliquot nostrorum pugnas funesta clades Mohatsiensis secuta est, qua Solimannus II. florem Nobilitatis Hungaricae delevit, et Hungariam impune vastavit. Rex prope vicum Tsellye submersus perit.

Crescebat interim Turcarum, vicinas provincias carpentium potentia, et imminens inde Hungariae periculum, ejus consideratio frequentissimis comitiis occasionem dedit, sed quae in iis constituta sunt, quod effectui non darentur, ad communia mala tollenda nihil contulerunt. (a)

Unde funesta tandem consecuta est clades Mohatsiensis. Juvat rem altius repetere. Solimannus II. Turcarum Sultanus, quod res in Aegypto non satis tutas haberet, A. 1520. legatum Budam misit, qui efficeret, ut induciae prorogarentur. Dum Ludovicus illum incertum spei ultra annum detinet; Sultanus se contentum ratus, expugnato Szabatsio, copias Belgrado admovet, et perfidia Michaelis More, ac Francisci Hederuari deditioe capit; tum e vicinis praesidiis saepius incursans Hungariam, magnam hominum pecorumque copiam abigebat, et Dalmatiam sensim expugnatum pergebat Licet vero jam tum non fuisset illi difficile, armatam vim longius,


(a) Corp. Jur. Patrii T. 1.


latiusque circumferre; ea tamen fortuna usus est Paullus Tomory Archiepiscopus Colocensis, ut Ferhate Belliduce cum 15. millibus caeso, 40. signa militaria Ludovico mitteret. Pari virtute Frangepan Turcas, cum Jaitzam, arctissima obsidione premerent, profligavit.


Verum hae clades non fregerunt Solimannum, sed irritarunt. Existimabat, Ducibus suis aliis curam, aliis fortunam defuisse. Ipse igitur constituit de sorte Hungariae decernere, omnibus viribus ad opprimendam contractis. Rex periculo tam propingvo, tamque magno permotus, ad Romanum Pontificem, Bohemos, Polonos, Germanosque misit, qui nunciarent quam celeri opus esset auxilio. A solo Pontifice 50. millia aureorum obtinuit; reliqui domesticis rebus occupati, auxilia nulla tulerunt. Itaque celebratis domi comitiis, et Ducibus constitutis, cum paucis processit ad Moháts. Adfuit brevi Solimannus, superato, nemine resistente, Dravo flumine, ingentem habens exercitum. Nostrorum sex supra viginti millia fuere. Joannes Zápolya 40. Christophorus Frangepan 15. millia collecta habuerunt, et se post paucos dies adfuturos nunciaverunt: ne igitur Rex praelium committeret, priusquam ipsi advenissent. Verum cum et hostes adessent, et exigua haec Hungarorum manus magna pugnandi cupiditate flagraret; illi expectati non sunt. Instructa per Tomorium, et Georgium Zápolyam Joannis fratrem acie, die 29-a Augusti A. 1526. sub vesperum ad manus ventum est. Primum magna pars hostium caesa, et pro-

pulsa est; post ubi nostri incauto fervore longius, quam par erat, penetrant, et semialtera hora certamen fortiter sustinent, multitudine circumfusi, in fugam vertuntur. Caesi magnam partem Episcopi, Barones Regni, et flos Nobilitatis; pauci cum Stephano Báthory Palatino, evaserunt: captivi contra datam fidem trucidati, castra direpta. Rex ubi aciem inclinare vidit, ne vivus in hostium veniret potestatem, equum in fugam vertit; verum hic longiore cursu lassus, dum prope vicum Tsellye in objectam paludi ripam eluctari vult, motu corporis supino una cum sessore in coenum praeceps recidit. Corpus Regis palude mersum, post duos menses repertum, et Albae Regiae consveto Regum tumulo illatum est. Interea Solimannus orbem defensore Hungariam impune vastat, Budam occupat, et igne delet, totum sibi Regnum asserturus, nisi exortae in Asia Minore turbae ferocientem revocassent. (a)

(a) Steph. Broderici Descriptio cladis Moháts Istváni L. 8. Révay apud Schwandtn. T. 2. p. 704. — 710.







C O M P E N D I U M
HISTORIAE IMPERATORUM
ROMANO GERMANICORUM
R U D O L P H O I. [Kol. 2.]
USQUE AD
F R A N C I S C U M II.
ET
R E G N I H U N G A R I A E,
A
F E R D I N A N D O I.
USQUE AD NOSTRA TEMPORA
C O N C I N N A T U M
A
G L Y C E R I O S P Á N Y I R
S C H O L I S P I I S A A. L L. E T P H I L O S O P H I A E
D O C T O R E , P R O F E S S O R E H I S T O -
R I A R U M .

EDITIO TERTIA AUCTION, ET EMENDATIOR.

T O M U S II.

P E S T H I N I ,
T Y P I S E T S U M P T I B U S N O B I L I S J O A N N I S
T H O M A E T R A T T N E R . 1821.



H I S T O R I A
Imperatorum Romano - Germani-
corum

a Rudolpho Habsburgico usque ad Ferdi-
nandum I.

Origo Imperii Romano Germanici.

§. 1.

*Et Republica Romana Imperium ortum est Ro-
manum, et subinde in Orientale, ac Oc-
cidentale divisum.*

Postquam secundo bello Punico Carthaginensium percussa fuisset potentia, tertio civitas ipsa ever-
sa; Romani sensim omnes praecipuas Europae,
Asiae, Africaeque regiones suae potestati subjece-
runt. Sed cum in eo jam essent potentiae fasti-
gio, ut cunctis nationibus leges praescriberent,
neque ulla esse videretur, cui superandae pares
non essent: ipsi sibi pernicii fuerunt. Congestis
enim undique gentium spoliis, corripuit urbem
omne genus vitiorum, quae ex deterrimo divitiarum
abusu nasci solent. Civium quorundam ambitio, et
avaritia bella civilia excitavit, quibus fessam Rem-

publicam Octavianus Augustus in Monarchiam mutavit A. a. C. n. 30. Ita e Republica toto orbe maxima, non minus potens Romanum natum est Imperium.

Id jam tum ita late patens, ut per omnes orbis noti partes diffunderetur, novis adjectis provinciis Octaviani successores auxere. Sed militum violentia diu vexatum, et inter plures Principes saepe distractum, Theodosius M. primum uni sceptro reddidit; deinde in Orientale, et Occidentale divisit, cum duos haberet filios, quos natrique praeficeret A. C. 395.

§. 2.

*Occidentale a barbaris nationibus eversum,
Carolus Magnus instauravit.*

Male hac divisione toti consultum est Imperio; eo praesertim tempore, quo gentes barbarae provinciis undique imminebant. Ab his Oriens laebefactatus, difficulter defendi potuit; Occidens penitus oppressus est. Svevi, et Alani, ac postmodum Visigothi Hispaniam, Vandali Africam, Angli, et Saxones Britanniam, Franci, et Burgundiones Galliam, Hunni Pannoniam, Heruli Italianam occupaverunt. Romulo Augustulo privatam in Campania vitam aegre jusso, Occidentis Imperium A. 476. concidit, et nova Regna inter illius ruinas nata sunt.

Nemo ex eo tempore in Occidente Caesar, Imperator, vel Augustus appellatus est usque ad A. 800 quo Carolus M. Francorum Rex, cum plurimis veteris Imperii Occidentalis regionibus potiretur, sumta Romae a Leone III. Pontifice core-

na, nomen quoque Imperatoris obtinuit, et quidquid terrarum Ibero, Vistula, mari Germanico, Adriatico, ac Tyrrheno continetur, suis successoribus reliquit.

§. 3.

Ex parte Monarchiae Caroli, in plura Regna divisae, enatum est Imperium Romano Germanicum.

Tam potens Monarchia, a morte Caroli M. turbis involuta, postmodum in plura Regna divisa est, uti: Germaniae, Italiae, Franciae, Burgundiae, et Navarrae. Germaniae Reges ab aetate Ottonis I. simul Imperatores fuere; hic enim suscepta in Italiam expeditione, A. 962. a Joanne XII. Pontifice Romae inauguratus, occupatam Italiam cum Germania conjunxit, cujus successores Germani, patrii Regni coronam plerumque Aquisgrani, Mediolani Italicam; Romae a Pontifice usque ad Ferdinandi I. tempora Imperatoriam sumere coronam consueverunt, et tum primum Imperatores, Caesares, vel Augusti appellati.

§. 4.

Imperatores ex variis Domibus creati sunt, denique ex Augusta gente Austriaca.

Ab Ottonis I. tempore annis trecentis, ex diversis familiis orti Principes, electione Procerum Germaniae, rerum potiti fuere. Tandem Rudolphus Habsburgicus summam Imperii obtinuit. Huic Adolphus Nassovius successit, quem crudelem, avarum, perfidum, ac temerarium Albertus Ru-

dolphi filius, Imperator a Proceribus declaratus, victum in bello occidit. Albertum Principes ex stirpe Luxenburgica, si Ludovicum Bavarum demas, in solio exceperunt. Tum vero Albertus II. inchoavit familiam Imperatorum Austriacam, ad nostra tempora continuatam, et per unum Carolum VII. interruptum.

Non est nostri propositi, universas hujus Imperii vicissitudines, quasve res singuli Caesares gesserint, docere. Austriacorum potissimum recensimus facta, ducto a Rudolpho Habsburgico initio

Rudolphus Habsburgicus Imperator

XXVI. ab A. 1273.—1291.—18.

*Victo, et occiso Ottocaro Bohemiae Rege
provincias Austriacas Alberto, Sueviam
Rudolpho filio contulit.*

Mortuo A. 1272. Richardo Principe Anglico, quem Proceres Germaniae Imperatorem electum, A. 1257. Aquisgrani inauguraverant, Imperium 18 mensibus capite caruit. Haec temporis periodus Interregnum Magnum in Historiis appellatur. Omnia tum caedibus, rapinis, et incendiis miscebantur. Cum vehementer impeterentur etiam jura Ecclesiae Romanae; studio, et opera Gregorii X. Pontificis, Imperator electus est Rudolphus Comes Habsburgi, et Alsaciae Landgravius. A pietate principatum auspiciatus, Proceribus fidem juraturis, cum sceptrum deesset, arreptum crucis signum porrexit: „Hoc, inquit, ego sceptro judicam populis, et hostes Imperii profligabo “

Rudolphum Ottocarus Bohemiae Rex Imperatorem agnoscere noluit, Imperio ipse inhians, ut

quas partim cum Margareta Friderici Babenbergi-
 ei Austriae Ducis sorore obtinuerat, partim emer-
 rat Austriacas ditiones, suae posset familiae jure
 perpetuo asserere. Duplex inde bellum natum
 est, quorum altero Ottocarus victus, ditiones Au-
 striacas Imperio restituere, et pro Bohemia, ac
 Moravia fidem jurare Caesari debuit; altero, cum
 amissa recuperare conaretur, fortiter dimicans oc-
 cubuit A. 1278. Rudolphus dein Austriam, Stiri-
 am, et Carnioliam in comitiis Augustanis A. 1283
 Alberto filio dedit, Carinthiam Mainhardo Comiti
 Tyrolensi ea lege, ut virili hujus stirpe exstincta,
 ad posteros Alberti perveniret. Alteri filio Rudol-
 pho Sveviam contulit, cujus ultimum Ducem Con-
 radinum, Friderici II. Imperatoris nepotem, cum
 Neapolim occupare vellet, Carolus Andegavensis,
 a Clemente IV. Pontifice Regnum utriusque Sici-
 liae consecutus, capite plecti jusserat. Ita Rudol-
 phus Augustam Domum Austriacam, tot deinceps
 Imperatorum, Regumque matrem fundavit, quam
 affinitate etiam firmaturus, sex filias totidem vi-
 cinis Principibus collocavit.

Interea de Imperio quoque bene merebatur,
 omni studio quietem illi procurare conatus; arces
 plures, quam 70 latrocinantium latibula, diruit,
 ex quibus potentiores in aliorum bona impune gras-
 sari solebant. Decies, et quater signa cum hosti-
 bus Bohemis, Helvetiis, Burgundionibus contu-
 lisse. totidemque palmas, et Victoriosi cognomen
 adeptus fuisse scribitur. Sed Italiae multis civita-
 tibus, uti Genuae, Luceae, Florentiae, Bononi-
 ae, concessit, ut suo deinceps jure, atque arbi-

trio viverent. Ut in judiciis: ac tribunalibus Germanico idiomate negotia tractarentur, praecepit. Senio tandem, ac laboribus fractus, dum filio Alberto Imperium traditurus, Comitatus Francofurti parat, A. 1291. in itinere moritur. Symbolum habuit: Melius est bene imperare, quam Imperium ampliare. (a)

Adolphus Nassovius Imperator XXVII.
ab A. 1292.—1298.—6.

Gerardi Electoris Moguntini arte Imperio potitus, deinde ob crudelitatem, et perfidiam exauctoratus, in bello contra aemulum suum Albertum Austriacum suscepto occubuit.

Adolphus Valrami Nassoviensis Comitis filius artibus Gerardi Electoris Moguntini ad Imperium pervenit, in eoque multa perfide, et crudeliter egit. Alberti Austriaci filiam sponsam pro filio suo petiit, repulsam passus, Alsatiam invasit, quam armis victus dimisit. Eduardo I. Angliae Regi, accepta magna pecuniae summa; adversus Philippum Pulchrum Galliae Regem, militem stipendiarium pollicitus, fidem fregit, novo perfidiae secle e Thuringiam, quam Albertus Landgravius, summa cum filiorum haeredum injuria, venalem

(a) Gerardus de Roo in Annal. rerum ab Rudolpho I. ad Carolum V. gestarum. Henricus Storro ad A. 1273.—1291. Laudes Concordiae inter Ottocarum, et Rudolphum apud Leibnitzium. Albertus Argentinus in Chronico ad Anos Imperii Rudolphi.

proposuerat, auro Anglico mercatus. Hanc haeredes armis vindicare voluerunt: ille crudelitate barbara in victos desaeuit. Quapropter odium publicum incurrit, et pars Principum Germaniae perfido, et crudeli homini Imperium abrogavit, atque Alberto Austriaco detulit, contra quem pugnans occubuit A. 1298 Symbolum ejus fuit: Praestat vir sine pecunia, quam pecunia sine viro. (a)

Albertus I. Imp. XXVIII. ab A. 1298.
—1308.=10.

*Potentiam familiae suae augere conatus,
parum profecit, quin Helvetiorum de-
fectioni ansam dedit.*

Albertus I. filius Rudolphi Habsburgici, caeso Adolpho, ne vi ad Imperium pervenisse videretur, rursus eligi voluit et coronari. Inito cum Philippo Galliae Rege foedere, multa pro familiae suae commodo molitus, parum profecit. Exstincta Comitum Hollandiae stirpe virili, ut Hollandia, Selandia, ac Frisia potiretur, armis rem agere decrevit: at cum Electores Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, et Palatinus Rheni Joanni Hannoveriae Comiti, qui exstinctae Domui cognatione junctus erat, opem suam addixissent, subito exercitum reduxit. Contra eosdem Electores paulo post felicior; ut juri in portoria, quae temporari Interregni ad Rhenum sibi arrogaverant, nun-

(a) Henricus Stero, et Chronicon Colmariense Ad A. 1291.—1298. Scherzius de Imperatoris Adolphi depositione. Argentorati 1711.

eium mitterent, effecit, eosque, cum in eo jam essent, ut Imperium sibi abrogarent, ad officium revocavit. Venceslaum II. Bohemiae Regem fodiinis argenti privare conatus, operam frustra perdidit, quod plures Germaniae Principes Bohemi partes defendendas suscepissent. Sublato e vivis Venceslao III. effecit quidem, ut pars Procerum Bohemiae filio suo Rudolpho Regnum deferret, altera Henrico Carinthiae Duci favente; neque tamen Bohemiam familiae suae asserere potuit; mortuo enim Rudolpho, Henricus primo Carinthiae Dux, tum Joannes Henrici VII. Imperatoris, Luxemburgici, filius, Venceslai III. affines, illie rerum potiti sunt. Quum Mysniam, et Lusatiam, provincias ad Thuringiam pertinentes occupare vellet; quod has Adolphus Nassovius ab Alberto Landgravio emisset, et ipse a nonnullis civitatibus Thuringiae, quae se Imperii tutelae crediderant, in auxilium vocaretur: a Friderico Landgravio ingentem cladem accepit. Similis conatus opprimendi Helvetiam, ex qua pro filiorum uno Principatum erigeret, tristiores exitum habuit; tres enim Pagus: Svitiensis, Uriensis, et Subsylvaniensis, cum a Praefectis Austriacis crudeliter, et superbe haberentur, tribus conjuratis auctoribus, subito impetu arces Praefectorum demoliti, foedus inter se, ad jura sua tuenda, in decennium pepigerunt, quod saepius deinde prorogatum, et plurium Pagorum accessione confirmatum, initia dedit Reipublicae Helveticae. Malum in ortu oppressurus Caesar, dum in Helvetiam properat, a Joanne fratris filio, Sveviae Duce, cujus haereditatem detinebat ex,

insidiis occiditur A. 1308 Symbolum habuit: Quod optimum, idem jucundissimum. (a)

Henricus VII. Imp. XXXIX. ab A. 1508.
—1515.—5.

Familiam suam illustrem, et potentem reddidit, filio Joanne ad solium Bohemicum evecto.

Henricus VII. Comes Luxemburgicus, familiam suam illustrem, et potentem reddidit; nam et Comitatum Luxemburgicum Ducatus honore ornavit, et filium suum Joannem ad solium Bohemiae evexit. Postea in Italiam profectus, jus Imperatorum, ab aliquot decessoribus jam prope neglectum, cum emolumento exereuit, multis civitatibus Italiae ad Imperium revocatis. Plura animo volventem repentina mors abstulit A. 1518 Symbolum ejus fuit: Calix vitae, calix mortis. (b)

(a) Chron. Colmar. ad A. 1298 et seqq. Lambacher Dissertatio de Imperatoris Alberti I. expeditione in Hollandiam Balbini Epit. Hist. Bohem. L. 5. Hist. Landgrav. Thuring. C. 82. Simlerus de Rep. Helvet. L. 1. C. 7. Guilimanus de rebus Helvet. L. 2. C. 16. (b) Albertus Mussatus de gestis Henrici VII. apud Murator. Tom. 10. Balbinus l. c. L. 3. C. 17. Conradus Vecerius de rebus gestis Henrici VII. Imp.

Ludovicus IV. Imp. XXX. ab A. 1314.
—1347.—33.

Cum aemulo suo Friderico Austriaco diuturnum bellum gessit, quo capto, et potestate privato, Nicolaum V. Joanni XXII. Pontifici sufficere ausus, et propterea a Pontificibus exagitatus, occasionem dedit Unioni Electorali.

A morte Henrici VII. divisis Principum studiis, duo Caesares electi, coronatique de Imperio contenderunt, donec Ludovicus Bavarus aemulum suum Fridericum Austriacum, virtute Schvepermanni Ducis A. 1322. superatum, in potestatem rede-gisset, cui post triennium e captivitate dimisso Caesaris nomen, non item publica Imperii negotia tractandi facultatem permisit. Depresso aemulo, Ludovicus, quem Joannes XXII. Imperatorem non agnovit, in Italiam profectus est, ubi Joanni Pontificatum abrogare, et Nicolaum V. ei sufficere ausus, multorum odium incurrit. Sed Joannes aemulum brevi ad officium reduxit: Ludovicus in Germaniam reversus, et facti poenitens, nec a Joanne, nec a Benedicto XII. veniam obtinere potuit. Qua re occasio data est Unioni Electorali, in qua consensu praecipuorum Germaniae Principum constitutum est A. 1358. ut deinceps legitimus Rex Romanorum, et Imperator esset, quem Electores nominarent, quin confirmatio Pontificis requiratur. Interim Clemens VI. Pontifex effecit, ut Carolus Joannis Bohemiae Regis filius Caesar constitueretur: at hic, vivente Ludovico, dignita-

tem adire non potuit. Neque tamen ille diu superstes fuit; hausto enim, ut creditur, veneno, quum a venatione remedium quaereret, ab occursante urso equo excussus, corpus ita adflixit, ut brevi A. 1547. exstingveretur. (a) Symbolum habuit: Sola bona, quae honesta.

Carolus IV. Imp. XXXI. ab A. 1547. —
1578. = 51.

Aemulis suis pecunia placatis, Romae inauguratus, Bullam auream edidit. Ut par esset ferendis magnis sumptibus, quos fecit, multis civitatibus libertatem vendidit. Regnum Burgundiae Gallorum potestati subiecit.

Carolus IV. Joannis Bohemiae Regis filius, quod Ludovico superstite, non capessivisset Imperium, aemulos nactus est: Fridericum Thuringiae Landgravium, et Guntherum Comitem Schwartzburgicum; nam Edvardus Angliae Rex oblatam sibi a Principibus Germaniae dignitatem suscipere noluit; sed et Fridericus, acceptis decem mille marcis argenti, jure suo facile decessit: Guntherus contra illud armis aliquamdiu tuitus, deinde Carolo viginti millibus marcarum vendidit, et tum Electores omnes in Carolum consenserunt. Is spreta Unione Electorali, A. 1555 Romae Imperatoria, Mediolani Regni Lombardici corona redimitus, se-

(a) Joann. Villanus L. 9. 10. 12. Albertus Argentinus in Chron.

quente anno celebratis Norimbergae comitiis, Bullam auream edidit, in qua descripta Caesaris eligendi ratione, septem Electores: Moguntinum, Trevirenses, Coloniensem, Bohemiae Regem, Palatinum Rheni, Saxoniae Ducem, et Marchionem Brandenburgicum in jure, quod jam saeculo 15-o sibi arrogabant, stabilivit; ordinem eorum, atque officia definivit, pluresque res, quae intestina Germaniae bella impedirent, prudenter, sed parvo cum fructu constituit. Ex hoc tempore magis de Bohemiae Regno, et familiae suae facultatibus amplificandis, quam de Imperio sollicitus, Pragensem Academiam, multis privilegiis ornata erexit; condita Nova Praga, pontem tota Europa celeberrimum supra Moldavam struere coepit; Episcopatu Pragensi ad Archiepiscopatus honorem eveeto, ut Pragensium Antistites Sedis Apostolicae Legati nati essent, ab Urbano V. Pontifice impetravit. Ut filio suo Venceslao certam redderet Imperatoris dignitatem; cuius Electorum centum millia florenorum obtulit; Sigismundo autem natu minori Electoratum, et Marchionatum Brandenburgicum ducentis millibus aureorum emit. Quibus sumtibus ferendis ut par esset, multis civitatibus libertatem auro vendidit; portoria alias aerario Caesaris inferenda, Principibus concessit, utque iidem vectigalia suo arbitrio imperarent, et suis aerariis inferrent, permisit. Regnum Arelatense, seu Burgundiae Gallorum potestati subiecit; Praeturam denique Mediolanensem Galeacis dedit. Inde Maximilianus I. ipsum per ludibrium vitricum Imperii nominavit.

Decessit Pragae A. 1378. (a) Symbolum ejus fuit:
Optimum aliena insania frui.

Venceslaus Imp. XXXII. ab A. 1378.
— 1400. — 22.

Ignavus, et crudelis, quod Mediolanum Joanni Galeacio vendiderit, exauctoratus est.

Venceslaum Caroli IV. filium plerique Scriptores atris coloribus depinxere: quod neglectis Imperii, Regnique sui Bohemiae negotiis, vitam inter voluptates iners, et tamen saepe crudelissimus exegisset. Civitates Rhenanae, et Svevicae foedus inter se arcissimum iniverunt, quod eo pertimuit, ut tranquillitatem publicam, et jura sua adversus Caesarem, Principesque tuerentur; cui cum a Principibus, et Proceribus alia fuissent foedera opposita, magni in meridionali Germania exorti motus, opportunam Venceslao occasionem praebuerunt; Caesarum jura, ac potentiam amplificandi. Ille satis habens, foedus civitatum dissolvisse, Germaniae curam penitus abjecit. In Bohemorum quoque invidiam venit, qui comprehensum in publicos carceres conjecerunt, ex quibus elapsus, Regnum composuit; sed in Proceres sibi inimicos atrocius, quam ante, saeviit. Tandem a Proceribus Germaniae, quod Mediolanum Joanni Galeacio vendidisset, A. 1400. dignitate spoliatus, soli Bohemiae annis adhuc 19. praefuit. (b)

(a) Albertus Argent. in Chron. Caroli IV. Comment. de vita sua ad filios in Freheri collect. Script. rer. Bohem. p. 26. (b) Dubravius Hist. Boh. L. 23.

Rupertus Imp. XXXIII. ab A. 1400. —
1410. = 10.

Ad infringendam Galeacii potentiam, expeditionem in Italiam haud felicem suscepit. Academiam Heidelbergae condidit. Sub eo doctrina Joannis Husz propagari coepit.

Exauctorato Venceslao, Fridericus Brunsvicensis primum, eoque ex insidiis brevi occiso, Rupertus Palatinus Rheni Imperator electus est, multis adhuc Proceribus, atque urbibus Venceslao faventibus. Rupertus distractas imperii partes conjuncturus, exercitum in Italiam duxit, ad infringendam Galeacii potentiam, a quo profligatus, in Germaniam rediit, ubi condita Academia Heidelbergensi, diem supremum obiit A. 1410. Symbolum ejus fuit: Misera res digna misericordia. (a)

Sub hoc Caesare Joannes Husz pravam doctrinam, ex libris Joannis Viclefi Theologi Oxoniensis in Anglia haustam, adjuvante Hieronymo Pragensi, et Petro Dresdensi, longe, lateque spargere coepit.

Sigismundus Imp. XXXIV. ab A.
1410. — 1457. = 27.

Restituta Ecclesiae pace, diuturnum cum Hussitis propter Bohemiam bellum gessit. Brandeburgica, et Saxonica Domus sua debent Sigismundo incrementa.

(a) Gobelinus Persona. Magnum Chron. Belgicum Tolneri Hist. Palatinatus.

A morte Ruperti, pars Electorum Sigismundo, Venceslai fratri, Marchioni Brandenburgico, et Hungariae Regi; altera Jodoco, Joannis fratris Caroli IV. filio, Marchioni Moraviae Imperium detulit. Sed Jodocus A. 1411. e vita excessit: itaque solus deinceps Sigismundus, consensu omnium Electorum, ipsiusque Venceslai, rerum potitus est. Quae ratione pacem Ecclesiae diuturno schismate convulsam restituerit, et quam grave cum Hussitis, propter Bohemiam, bellum gesserit, supra memoravimus in rebus Regum Hungariae Periodi Mixtae. Illud hic praetereundum non est: Brandenburgicam, et Saxoniam hodiernam Domum suam Sigismundo incrementa debere; prioris enim auctori Friderico Norimbergensi Burggravio Marchionatum Brandenburgicum vendidit; alterius conditori Friderico Bellicoso Landgravio Thuringiae, et Marchioni Mysniae Saxoniae Ducatum contulit, extincta in Alberto III. stirpe Ascaniorum. Sigismundus Znoimae obiit A. 1457. (a) Symbolum habuit: Nescit regnare, qui nescit dissimulare.

Albertus II. Imp. XXXV. ab A. 1438.
—1439.—1.

*Germaniam in quatuor Circulos divisit.
Post breve cum Turcis bellum decessit.*

Albertus II. Alberti IV. Ducis Austriae filius, Sigismundi gener, hujusque in Germaniae, Hun-

(a) Aeneas Sylv. Hist. Bohem. C. 36. — 46. Windeck Hist. vitae Imp. Sigism. apud Mencken Script. Rer. Germ. T. 1. Script. Rer. Hungar.

gariae, et Bohemiae Regnis successor, celebratis Norimbergae comitiis, Germaniam omnem, praeter Austriam, et Bohemiam, in quatuor Circulos divisit, primo Bavariam, et Franconiam, altero Sveviam; et ad Rhenum, tertio Vestphaliam, et Belgium, quarto Saxoniam complexus, idque fecit, ut pax publica facilius conservaretur, et Imperii negotia efficerentur promptiora. Cum Turcis, Hungariae imminentibus, breve bellum habuit, ex quo reversus obiit A. 1439. magno sui relicto desiderio. (a) Symbolum ejus fuit: Amicus optima vitae possessio.

Fridericus III. Imp. XXXVI. ab A. 1440.
—1493.—53

Cum Hungarorum, et Bohemorum negotiis se immisceret, diversis cum utraque natione bellis se implicuit. Cum Nicolao V. Pontifice Concordata inivit. A Mathia Rege Hungariae magna provinciarum Austriacarum parte mulctatus est. Filius ejus Maximilianus ducta Maria Caroli Audocis filia, Comitatum Burgundicum, et Belgium obtinuit.

Fridericus Pacificus, in serie Imperatorum, ut ipse solitus est se scribere, hoc nomine III. Ernesti Stiriae Ducis filius. Erat ingenio moderato, parcus, et pacis amans, qua tamen longissimo tem-

(a) Aeneas Sylv. I. c. Cap. 54.—56. Gerardi de Roo Annales rerum a Principibus Austriacis a Rudolpho I. usque ad Carolum V. gestarum.

pore sui regiminis frui non potuit, quod in exequendi consiliis tardus, et in refractariis coercendis timidus esset. Quum Hungarorum, et Bohemorum negotiis se immisceret, diversis cum utraque natione bellis se implicuit. A morte Uladislai, Hungariae, et Bohemiae coronam obtinere conatus, operam frustra perdidit. Cum sub idem tempus novum in Ecclesia schisma exortum fuisset, Basileam profectus, ubi Felix V. Antipapa electus erat, hunc, ut Pontificatu se abdicaret; permovit. Sublato ita schismate, Romam iter suscepit, et a Nicolao V. Pontifice aurea Imperii corona redimitus, querelas Germanorum per Concordata, cum eodem inita sopivit. Mos enim jam pridem inva- luerat, ut in Germania beneficia Ecclesiastica soli Pontifices conferrent, constitutique Episcopi dimidiam omnium reddituum anni primi partem Romam mittere tenerentur. Grave id Germanis erat, et molestum: agitatedum igitur jam in Concilio Basileensi, sub Sigismundo Caesare inchoato, quo pacto huic incommodo occurri posset. Nunc tandem inter Pontificem, et Caesarem ita convenit: Pontifici jus esset conferendi beneficia Romae, et circum ad trium dierum iter; at electos omnes ubi vis locorum confirmaret; in Germania vero non alia beneficia conferret, quam quae mensibus Januario, Martio, Majo, Julio, Septembri, et Novembri vacare inciperent.

Redux ex Italia, Ladislaum Posthumum, quem Elisabetha mater, Alberti II. Caesaris vidua, illius tutelae crediderat, provinciis suis reddere coactus, eodem subinde Pragae mortuo, cum Austriam su-

periolem Alberto fratri suo dedisset, et sibi inferiorem retinisset, Albertus injuriam sibi illatam ratus, bello eum petiit, et cum rebellibus Viennensibus, quos commoverat, conjunctus, in ipso palatio duobus mensibus obsedit. Laboranti Caesari Georgius Podiebradius Bohemiae Rex opem tulit, utque soluta obsidione, pacem Albertus amplecteretur, effecit, multa propterea privilegia a Caesare consecutus; subinde tamen et hunc Caesarem, et Paullum II. Pontificem a se avertit, quod Hussi doctrinae addictus, Catholicos odio haberet. Ceterum Fridericus, mortuo A. 1463. fratre Alberto, etiam Austria superiore potitus est; sed graves inimicitias habuit cum Mathia Rege Hungariae, a quo multis cladibus attritus, ac Vienna, Neostadio, magnaue provinciarum Austriacarum parte mulctatus est, quas non nisi a morte Mathiae, Maximilianus A. 1486. Rex Romanorum electus, ab Hungaris recuperavit. Hujus connubium cum Maria Caroli Audacis Burgundiae Ducis filia, unica amplissimarum provinciarum haerede, occasionem praebuit non exiguo potentiae Domus Austriacae incremento; postquam enim in bello contra Francos, et Helvetios Carolus occubisset, Maximilianus: desponsata sibi Maria, Comitatum Burgundiae (nam Ducatus Gallis relinqui debuerat) Belgicasque, artibus, et mercatu florentes provincias ad Domum Austriacam traduxit Fridericus. A. 1493. diem supremum obiit. (a) Symbolum habuit: Felix est rerum irrecuperabilium oblivio.

(a) Aeneas Sylvius de his, quae Friderico III.

Illo imperante, capta Constantinopoli, eversum est penitus Graecorum in Oriente Imperium, et ad Turcas translatum A. 1453. Ducatus Austriae ad Archiducatum evectus; inventa, et exulta Typographia a Joanne Guttenberg Moguntino; detectus novus orbis per Christophorum Columbum: deinde ab Americo Vesputio, Americae nomen sortitus; pulvis pyrius, jam sub Ludovico Bavaro inventus, nunc demum totam belli gerendi rationem immutavit; dispersio denique eruditorum, qui Constantinopoli profugerunt, auctusque Germaniae Academiarum numerus, majorem lingvis, ac scientiis lucem adfudit.

Maximilianus I. Imp. XXXVII. ab
A. 1493. — 1519 — 26.

§. 1.

Promulgata Pace Publica, erecta Camera Imperiali, Germania in decem Circulos divisa, jus privatae vindicationis sustulit.

Maximilianus I. Friderici III. filius, quod plures antea Caesares voluerunt, efficere nullus potuit, ut jus privatae vindicationis, inde ab Interregni tempore, bonis grave, ac perniciosum tollerent, et exorta ex eo frequentia bella, tumultusque impedirent: tertio regiminis anno magna sapientia id praestitit. Nam indictis A. 1495.

Imperante, in Germania, et per totam Europam gesta sunt, apud Freherum T. 2. Diarium vitae Friderici III. apud Lambec.

Vormatiam comitiis, Pacem Publicam promulgavit, atque supremum Camerae Imperialis Judicium, in quo lites Ordinum Imperii dirimerentur, instituit; ejus decreta ne quis contemnere, et pacem impune turbare posset, praecepit primum, ut comitia Ordinum singulis annis celebrarentur: tum quod haec Germanis gravia acciderent, Senatum, qui Regimentum Imperii vocabatur, erexit; hoc vero sua sponte brevi dilapso, magnam Germaniae partem in sex Circulos divisit: Franconicum, Svevicum, Bavaricum Rhenanum, Vestphalicum, et Saxonicum, quorum singulis certus armatorum numerus, si res postulasset, adversus contumaces, et inquietos homines mittendus erat. Ea res cum non modo ad pacem publicam, privatorumque securitatem tuendam multum valeret; verum etiam ad tributa, copiasque ex Imperio facilius legendas utilis esset: A. 1512. omnes Imperii regiones in decem Circulos partitus est, Austriacum, et Burgundicum sex prioribus adjiciens, Rhenanum vero, et Saxonicum in Superiorem, ac Inferiorem dividens. Ad provincias, quas a majoribus haereditate accepit, facilius gubernandas, Consilium Aulicum constituerat: ex hoc Caesareum Aulicum Consilium paullatim enatum est, tribunal paris fere eum Judicio Camerae dignitatis Germanorum mores, latis in blasphamos, veneficos, luxum, aliaque vitia praeclaris legibus, emendare conabatur. Publicum Veredorum cursum primus in Germaniam induxit. Artem militarem, ejus ipse peritissimus erat, pluribus inventis excoluit: sed cum minus diligenter curaret aerarium, magnos

que in bella sumtus faceret, crebro deesse illi pecunia solebat.

§. 2.

Filio Philippo Joannam Ferdinandi Catholici filiam despondendo, magnae potentiae Domus Austriacae fundamentum jecit.

Ex Maria Caroli Audacis filia Philippum, et Margaretam suscepit. Hanc Carolo Delphino Galliae, dum tenera esset, desponsatam, et ab eo, Rege jam hujus nominis VIII. repudiatam, Joanni Regis Arragoniae Ferdinandi Catholici filio collocavit; Philippo vero Joannam, ejusdem Regis filiam connubio junxit. Ex his Carolus, et Ferdinandus nati sunt, Hispanicarum, et Austriacarum ditionum haeredes. His subinde Hungaricae, Bohemicaeque Provinciae accesserunt, quibus ut facilius, certiusque Domus Austriaca olim potiretur, Maximilianus Caesar inter nepotem suum Ferdinandum, et Annam Uladislai II. filiam nuptias conciliavit, et vicissim hujus filio Ludovico Mariam neptem despondit. Ita roboravit pacta, quibus A. 1491. constitutum erat, ut Uladislai II. stirpe extincta, Austriaci Principes Hungariam obtinerent. Sed haec serius evenere.

§. 3.

Bellis Italicis exiguo cum fructu se miscuit.

Caesar ipse altero Imperii anno cum Blanca Maria Sfortia, Galeacii Mediolanensis Ducis filia secundas nuptias celebraverat, seque ab ejus patruo Ludovico Moro Mediolanensis Duce permoveri si-

verat, ut particeps esset foederis, quod ille cum Alexandro VI. Pontifice, Ferdinando Catholico Hispaniae Rege, Venetisque percusserat, ad Carolum VIII. Galliae Regem Regno Neapolitano, quod A. 1495. pulso Ferdinando II. Rege, occupaverat ejiciendum. Cessit res e sententia iis, qui foedere juncti fuere; profligatis enim Gallicis ex Italia praesidiis, Ferdinandus II. Regnum suum recuperavit; etsi Maximilianus, tentata nequiquam portus Liburni expugnatione, brevi ad sua redierit.

At successor Caroli Ludovicus XII. quod Valentiam, Joannis Galeacii Mediolanensis Ducis filiam, habuisset aviam, Ludovicum Morum Ducatu Madiolanensi privavit, captumque Helvetiorum proditione, in custodiam conjecit A. 1500. deinde cum Ferdinando Catholico conjunctus, Regnum Neapolitanum occupavit, et cum foederato suo divisit; quod etsi A. 1504. ortis de parte quadam discordiis, Ferdinando Catholico totum cedere cogere-
tur: Mediolanum tamen diutius retinuit. Maximilianus nec illud tum statim familiae Sfortiae vindicare, nec filii sui, quod post matrem in Ducatum Burgundiae jus habuit, contra eundem Ludovicum XII. ad exitum perducere, nec denique efficere potuit, ut Helvetii Judicio Camerae se submitterent; foedusque secum renovarent.

S. 4.

Offensus a Venetis, ad foedus Cameracense, contra eosdem initum, accessit; sed cum Veneti, placatis plerisque hostibus, totam belli molem in Gallos devolvissent, ipse quoque Caesar Ludovicum XII. deseruit.

Haud multo post Veneti, magnam jam praedem, cum virtute bellica, tum singulari industria potentiam consecuti, opumque amplitudine elati, vicinis saepe graves, Maximilianum Romam, ad sumendum a Pontifice diadema, proficisci volentem, ingressu suorum finium, nisi inermis transire vellet, prohibuerunt, et vi utentem rejecisse non contenti, complura ejus in Foro-Julio, ac Istria loca expugnarunt. Ille sic Roma exclusus, assensu Julii II. Pontificis, Electum se Imperatorem A. 1508. appellare incepit, et paulo post Cameraei cum eodem Pontifice, Ludovico XII. Ferdinando Catholico, et nonnullis Italiae Principibus foedus fecit, ad deprimendam Venetorum potentiam, a quibus singuli foederis socii repetendum aliquid habere. At illis per Ludovicum magno praelio superatis, quovis sociorum e possessionibus Republicae eam partem, ad quam se jus habere credebat, occupante, cum vires deessent, in summo periculo consilium saluti fuit. Julium enim II. concessa Ravenna, aliisque ditionis Pontificiae oppidis, et Ferdinandum Catholicum, restitutis, quos repetebat, Apuliae portibus, ad suas partes pertraxerunt, et novum cum iis foedus, quod Ligam sanctam dixerunt, A. 1511. pepigerunt, ad quod Helvetii primum, temere a Ludovico irritati, et mox Henricus VIII. Anglorum Rex accessere. Maximilianus tot Hostibus impar, etiam Gallos deseruit, Ferdinandus Catholicus invasit Navarram, Henricus VIII. Aquitaniam; ab Helvetiis occupatum est Mediolanum, ubique Maximilianus Sfortia, Moris filius, Dux creatus, quem post Ludovici XII. obi-

tum, Franciscus I. Rex Galliae A. 1515. Ducatu privavit Caesar videns Germanos a bello contra Franciscum gerendo alienos esse, pacem cum illo, Venetisque composuit, et tertio anno post (1519.) obiit. (a) Symbolum habuit: Tene mensuram, et respice finem. In quasvis scientias, artesque propensus, rerum a se gestarum Commentarios ipse conscripsit, et Bibliothecae Viennensi fundamenta jecit.

Carolus V. Imp. XXXVIII. ab A. 1519.
—1558.—39.

§. 1.

Possessione Belgii, Burgundiae, Hispaniae, Sardiniae, Siciliae, ac Neapolis potens, provincias Austriacas fratri suo Ferdinando tradidit.

Carolus V. patre Philippo Maximiliani I. filio, matre Joanna Ferdinandi Catholici filia natus, a patre Belgium, et Burgundiam, a matre Hispaniam Sardiniam, Siciliam, ac Neapolim, ab avo paterno Austriacas per Germaniam provincias haereditate accepit. Huic in Imperio a Septemviris ea lege suffectus est, ut conditiones sibi propositas, quae Capitulationes dicuntur, se observatum, fide confirmaret. Per has libertati Germaniae, et certis juribus consulabatur. Aquisgrani coronatus, provincias Austriacas fratri suo Ferdinando regen-

(a) Mutius in Chronogr. Germ. L. 30. Meleh. Pfingzinger de gestis Maximiliani. Cuspinianus in vita Maximiliani. Guicciardin Hist. L. 7.

das dedit, quo magis administrando Imperio, et augendis familiae suae opibus intentus esset.

§. 2.

Mediolanum, ejectis Gallis, Francisco Sfortiae vindicavit, et Franciscum II. Regem Galliae captivum Madriti habuit, qui dimissus, bellum instauravit, imminente ditioribus Austriacis Solimanno, pace Cameracensi sopitum.

Competitor Caroli fuerat Franciscus I. Rex Galliae, qui spe sua frustratus, nunquam deinde adversari eidem destitit. Controversiam praeterea super Mediolano, Neapoli, Burgundia, Navarra, aliisque provinciis habuere. Igitur quum Hispania motibus civilibus turbaretur, Navarram suo exercitu, nomine Henrici Regis Navarraei A. 1521. occupavit, et Robertum Buillanum Ducem, rebellem Caroli clientem, in Gallia militem conscribere passus est. Sed Navarram opinione celerius Castilienses recuperarunt, et rebellem Caesar cito domuit, finesque Gallicos invasit. Icto deinde cum Leone X. Pontifice, cui Franciscus Parmam, et Placentiam ademerat, foedere, Mediolano, Genua, omnibusque aliis Italiae locis Gallos exegit, atque Ducatum Mediolanensem Fraeisco Sfortiae, Maximiliani fratri, ad quem jure pertinebat, tradidit. Aegre tulit tantam jaetnam Franciscus, qui per id tempus etiam in Belgio cum Caesareis vario Marte decertabat. Quare Mediolanum recepturus, et Neapolim simul tentaturus, relicto Belgio, mrgnas in Italiam copias duxit, et captis aliquot oppidis,

Ticinum obsedit. Ibi Duces Caesaris, et in his Carolus Borbonius, qui summus nuper in Gallia militum Praefectus, a Ludovica Regis matre offensus ad Hispanos transierat, devictis Gallis, Franciscum A. 1525. vivum ceperunt, ac in Hispaniam ad Caesarem miserunt, a quo post annum, relictis, obsidum loco duobus filiis, pacem, et libertatem sub duris conditionibus impetravit.

Recepta libertate, pactis non stetit; nam non modo Ducatum Burgundiae, quem pace Madritensi promiserat, non restituit; verum etiam Henricum VIII. Regem Angliae, Clementem VII. Pontificem Venetos, Mediolanenses, et Florentinos, quibus omnibus magna Caroli potentia metuenda videbatur societate sibi junxit, et arma secundo corripuit A. 1526. Sinistro exitu; Carolus enim Borbonius, capto Mediolano, Romam contendit, qui etsi in transitu muri glande plumbea necaretur; milites tamen ejus urbem ceperunt, et ipsum Pontificem captivum aliquot mensibus tenuerant. Sed cum hoc Caesar brevi in gratiam rediit. Interea Galli Genua, et pluribus Italiae superioris urbibus expugnatis, in Regnum Neapolitanum penetrarunt, ejus metropolim haud dubie occupassent, nisi et pestilentia exercitum ipsorum invasisset, et Andreas Doria Genuensis, Regiae classis Ductor, inter obsidionem, ad Caesarem defecisset, a quo recepta paullo post Genua libertate donata est. Pulsis demum tota Italia Gallis, et Solimanno Turcarum Sultano Austriacis ditionibus imminente, pax inter Caesarem, et Regem Galliae coaluit Cameraei A. 1529. qua Gallis concessa est Burgundis, Me-

diolanum Sfortiae restitutum, et Florentinis Dux datus Alexander Medicus. Turcae, cognito Caesaris adventu, vastata Stiria, cum magno rerum suarum detrimento recesserunt.

§. 3.

Duo praeterea cum eodem Rege Galliae bella gessit, et bis expeditionem in Africam suscepit, ad reprimendam piratarum licentiam.

Duo praeterea Franciscus cum Caesare bella gessit, Turcico foedere magis infamia, quam sibi utilia, quorum utrumque Africanae Caesaris expeditiones antecesserunt. Priore A. 1555. suscepta Guletam, ac TUNETAM expugnavit, et Regem TUNETANUM, a Barbarossa piratarum Duce pulsum, Regno restituit, et sibi vectigalem fecit. Altera A. 1541. Algiriū ejusdem Barbarossae urbem capere destinabat; sed vix appulsus in Africam, ingentem hominum, naviumque tempestate disjectarum jacturam passus; re infecta rediit.

§. 4.

In Germania Protestantes, Lutheri doctrinam secutos, cum Ecclesiae reconciliari non possent, ad Mühlbergam fregit; postmodum victus, Transactione Passaviensi, et Pace Religiosa iisdem liberum Religionis exercitium, et jura cum Catholicis communia concessit.

Durantibus his bellis, Germania a Martino Luthero, et qui secuti illum fuere, magnopere tur-

babatur. Augustinianus ille monachus, fervido ingenio, doctrina mediocri, eloquentia vehemente, animo audaci praeditus, Theologiam Vittenbergae docebat, cum jussu Leonis X. Pontificis, in Germania indulgentiae quaedam a Dominicanis promulgarentur; quas cum abusibus Praeconum A. 1517. palam impugnare adortus, sensim in varios damnatos ab Ecclesia, novosque errores lapsus est, neque ut eos retractaret, induci ullo modo potuit. Qua de causa a Pontifice condemnatus, ad Concilium provocavit, et Bullam ejus cum libris Juris Canonici in magna hominum frequentia combussit. Deinde in comitiis Vormatiensibus A. 1521. a Caesare, consensu Ordinum Imperii, proscriptus, postquam Vartburgi novem mensibus latuisset, impune Vittenbergam reversus, dogmata sua verbo, ac scriptis, sub specioso Evangelii nomine propagare perrexit. Sectatores domi, et foris nactus est plurimos, ex quibus rustici Germaniae, cum Anabaptistis, Storkii, Lutheri discipuli, et Münzeri asseclis conjuncti, primum tumultum concitarunt, qui multo sanguine profuso, aegre compressus fuit.

Interea celebratis Spirae comitiis, Lutheri doctrina rursus proscripta est A. 1529. sed huic decreto quinque Principes, et 14. urbes Imperii aperte intercesserunt, unde Protestantes appellati sunt. Anno sequente in comitiis Augustanis Lutheri dogmatum summam, a Melanchtone concinnatum proposuerunt. Haec deinde Confessionis Augustanae, et qui illam profitebantur, Confessionis Augustanae addictorum nomen sortiti sunt; qui cum ex

condemnatione Augustana vim metuerent; ad aeta sua cum novis sacris tuenda, consulto prius Luthero, foedus inter se Smalcaldiae fecerunt, cujus capita Joannes Fridericus Elector Saxoniae, et Philippus Landgravius Hussiae fuerunt. Caesar, Solimanno Austriae imminente, conjunctis Germaniae viribus opus habens, in conventu Norinbergico A. 1532. Itherum Religionis exercitium, dum Concilium generale convocaretur, Protestantibus concessit. Repulsis Turcis, paeque cum Gallo tertio, et quarto instaurata, Paulus III. Pontifex A. 1545. Concilium indixit Tridentum. Hoc ut turbarent, qui foedere Smalcaldico juncti fuerunt, Carolo nondum satis parato bellum indixerunt. Ille majoribus sensim copiis auctus, exercitum hostium arte primo circumducit, deinde Saxonem ad Mühlbergam, Mynsiae oppidum, memorabili praelio victum A. 1547. comprehendit, Hassum sine pugna in deditioem accipit. Lutherus jam tum diem suum obierat.

Metu ceteris Smalcaldicis incusso, Carolus formulam fidei praescripsit, cui se *interim* Protestantes accommodarent, dum Concilium generale controversias religionis dijudicaret. Hoc a Julio III. Pauli III. successore Tridenti rursus coacta, Mauritius novus Elector Saxoniae cum Henrico II. Galliae Rege contra Caesarem foedus inivit, cumque sui securum Oeniponti fere comprehendit. Quare cum eodem pene tempore Henricus II. facta in Germaniam incursione Metas, Tullum, et Verodunum occupasset, coactus est Caesar cum hostibus pacisci, et Transactione Passaviensi Protestantibus

leberum Religionis exercitium, ac jus ad gerenda
 Cameræ Imperialis munia concedere A. 1552. Post-
 modum tentata belli fortuna, Gallis Metas, Tul-
 lum, et Verodunum permisit: in Germania vero
 comitia Augustam indixit, ubi A. 1555. confecta
 est Pax Religiosa, cujus decreta sunt: 1. Catho-
 lici, Lutherani, et Reformati pari loco in Ger-
 mania habeantur, exclusa in posterum quæcumque
 alia secta. 2. Si quis e Clero ad Protestantes, Re-
 formatosve defecerit, gradu suo, redditibusque Ec-
 clesiasticis privetur. Hoc Reservatum Ecclesiasti-
 cum appellatur. 3. Bona omnia Ecclesiarum, quæ
 ad Transactionem Passaviensem Protestantes, aut
 Reformati occupaverant, porro quoque retineant.
 4. Ad mutandam religionem neminem cogere fas-
 sit. 5. Si quis subditorum domicilium mutare ob
 religionem velit, licitum esto bona vendere, re-
 ductamque inde pecuniam secum auferre, salvis
 domini juribus.

Confecta pace, Carolus morbis jam fractus, et
 humanas res pertæsus, Philippo II. filio suo va-
 cantem a morte Sfortiæ Ducatum Mediolanensem,
 Belgium, et Hispanicas provincias tradidit, et in Ex-
 tremadura monasterium S. Iusti ingressus, ubi pi-
 am, et honestis laboribus occupatam vitam finivit
 A. 1538. Princeps excelsi animi, immortalem sui
 apud posteros pietatis, fortitudinis, et sapientiæ
 famam reliquit. Symbolum habuit: Nulla victoria
 sine clementia. (a)

(a) Zenocarus de Rep. vita, moribus, gestis, fa-
 ma, religione, sanctitate Caroli V. Pruden-
 HISTO-

HISTORIAE
REGNI HUNGARIAE

PERIODUS QUARTA.

ab A. 1526.—1818.=292

ET

CONTINUATIO

HISTORIAE IMPERATORUM

a Ferdinando I. usque ad Franci-
scum II.

Ferdinandus I. Rex XXXVI. ab A.
1527.—1564=37.

§. 1.

Amisso Rege Ludovico, Joannes Zápolya Tokaini, Ferdinandus Posonii Rex electus est. Tentata nequicquam Olomucii concordia, Ferdinandus viribus superior, aemulum Buda removit, et corona sacra, qua prior Zápolya cinctus erat, Albae Regiae redimitus est.

tius de Sandonal in Hist. Imp. Caroli V. Michael Brutus in Panegyrico de rebus Caroli V. Sleidanus de statu Religionis, et Reip. Caroli V. Caesare L. 26. Cochlaeus, et Ulembergius in vita Lutheri.

Tomus II.

5

Infelici ad Moháts confecto praelio, et Regè ipso amisso, scissam in partes Hungariam novae belli calamitates exceperunt. Joannes Zápolya Transilvaniae Vajvoda, et Comes Seepusii, regnandi jam pridem cupidus, largitione munerum, et bonorum, dignitatumque promissione multos sibi clientes paravit, quorum studio diadema obtineret. Itaque ut primum hostem spoliis onustum Buda abisse comperit, ut ambitionem suam tegeret, Reginae auctor fuit: concitis ad eampum Rákos Proceribus, faceret Regis eligendi potestatem. Illa Stephano Báthory Comiti Palatii morem gerere maluit, jussitque Ordines Comaromii convenire. (a) Displicuit factum Zápolyae, suis consiliis adversum. Quapropter datis ad omnes Comitatus literis, Tokainum cunctos vocavit, et auctore potissimum Verbötzio, Rex a suis sectatoribus, proclamatus, pie 11-a Novembris A. 1526. Albae Regiae a Paulo Várday Archiepiscopo Strigoniensi diadema accepit. (b) Non tamen diu illud, neque secure tenuit. Translatis enim Comaromio, ut a vi tutiora essent, Posonium comitiis auctore Palatino, irrita declarata est Zápolyae electio, et Regnum Ferdinando adjudicatum, huicque omnes, deserto Zápolya, suam obligare fidem jussi, nisi pro hostibus patriae haberi vellent. (c)

(a) Litt. Reginae, et Palat. apud Pray Annal. P. 5. p. 125. (b) Ibid. p. 124. (c) Istváni L. 9. Zermegh L. 1. §. 5. et 5. Pray l. c. p. 128.— 151.

Tentata postea svasu Sigismundi Poloniae Regis, per Oratores, Polonis arbitris, inter aemulos nequicquam Olomucii concordia, Ferdinandus, armis potius, quam calamis, Regna obtineri, certus, exercitum Hungariae infudit. Venientem Optimates, et Nobiles magno numero accessere, quorum fide fretus, coeptum iter prosequitur, et Jaurino, Tata, Comaromio, Strigonio, Vissegrado, levi labore potitur. (a) Zápolya factionem suam in dies minui intelligens, relicta Buda, Hatvanium se contulit, post neque ita multo, a Ferdinando Duce Comite de Salm praelio victus, longiusque propulsus. Itaque Ferdinandus, accepto in fidem Petro Perényi coronae Custode, Regni insignia consecutus, habito Budaë Ordinum Regni concilio, et Poseniensi electione confirmata die 5-a Novembris A. 1527. Albae Regiae corona sacra redimitus est a Stephano Podmaniczky Episcopo Nitriensi. (b) Aliquot inde diebus de Republica consultatum. Proceres, qui Regi recens coronato fidem suam obstrinxerunt, partim novis honoribus exulti sunt, partim pristinae iis dignitates confirmatae. Zápolya, et Verbötzy hostes patriae declarati. Ut a portis singulis florenus Regi solveretur, praeceptum. (c)

(a) B. Videmanni Acta Legat. Olomuc. apud Pray Annal. P. 5. p. 136. Ursinus Velius de bello Pannonico L. 1. Zermegh L. 1. §. 5. Istváni L. 9. (b) Velius L. 1. et 2. (c) Decr. I. Ferd. in Corp. Jur. patr. T. 1. p. 355. art. 1.—8. 5*

§. 2.

Celebratis comitiis, in quibus Zápolyae sectatores hostes patriae declarati sunt, in Germaniam rediit, relictis hic Ducibus, qui Zápolyam victum in Poloniam profligarunt.

Soluto conventu, Ferdinandus Budam reversus, Duces in Zápolyam misit, qui collecto tumultuario milite, Agriam in obsidione tenebat. Illi, dissipata facile armis non adsveta multitudine, obsessis salutí fuere, Zápolyamque ad fines Poloniae propulere, ejus Ducibus ad Nitriam, ac Tyrnaviam pari fortuna profligatis, et Franciseo Bodó, post difficile certamen capto, ac Neostadii incluso, Zápolya coepit opem a Polonis flagitare: at Ferdinandus, Sigismundo Rege per legatos sibi conciliato, illius molimina intervertit.

Deinde rursus Budae conventum celebravit, ut suos in fide magis confirmaret, et omnes Joannis conatus inanes redderet. In hoc Praelati, Barones, Nobiles, si quid periculi a Zápolya, aut a Solimanno immineret, et ipsi parati esse, et colonos suos armis instructos in promptu habere jussi sunt. Qui Joannem adhuc sequebantur, hostes Reipublicae pronuntiati. A singulis portis ad illum, qui antea decretus erat, alter florenus in belli usum additus. Constitutis denique Ducibus id negotii datum, ut Zápolyaianos numquam quietos permetterent.

Rebus ita ex Ordinum consensu compositis, Budae Senatum Regium instituit; conservandae

coronae Petrum Perényi, aerario Alexium Thurzo, arci Budensi Thomam Nádasdi praefecit, quam ipse numquam visurus amplius, paullo post deseruit; Viennam repetens, hinc ad comitia Imperii Ratisbonam profecturus. Quo comperto Zápolya, conscriptas ex Polonis, Tartaris, et Hungaris sibi adhaerentibus copias ad Cassoviam adduxit; sed a Catzianero rursus victus, in Poloniam ad Joannem Tartonium se contulit. (a)

§. 3.

Zápolya repulsam alibi passus, auxilia a Solimanno impetravit.

Etsi a praepotente hoc Dynasta liberaliter haberetur; cum tam expenderet, a quo culmine esset dejectus, coepit modum circumspicere, quo ad pristinam dignitatem perveniret. A Pontifice, et a Principibus Imperii Germanici repulsam passus, Georgium Martinusium Ordinis S. Paulli primi Eremitae monasterii Czenstochoviensis Priorem in Hungariam misit, ut quos, et quibus posset modis, amicos sibi, clientesque pararet, Hieronymum varo Lasky Siradiensem Palatinum ad Solimannum, Virgilianum illud usurpans; Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo. Laskius superatis difficultatibus, ad Solimannum admissus; facto foedere, Joannem perpetuam cum Turcis amicitiam, et armorum societatem culturum, huic Sultanus ad

(a) Velius L. 3. et 4. Istvánfi L. 9. Corp. Jur. Patr. T. 1. p. 556. Pray Hist. T. 5. p. 10.

recipiendum solium auxilia, et porro quoque praesidio se ei contra Ferdinandum futurum, pollicitus est. (a)

§. 4.

Solimannus prima expeditione Budam deditione acceptam, et insignia Regni Zápolyae tradidit: altera Viennam, quam prius frustra tentaverat, oppugnare non ausus, Stiriam, et partem Austriae non sine magna suorum jactura vastavit.

De Turcarum a Laskio, et de multorum Hungarorum in se voluntate a Martinusio edoctus Zápolya, Duces suos Polonicis copiis stipatos in Hungariam praemisit, et postquam hos victoriam de Ferdinandeis ad Cassoviam retulisse comperit, ipse quoque e Polonia egressus, venienti Solimanno in campo Moháts A. 1529. occurrit, dextramque deosculatus: ejus se clientem professus est. Sub idem tempus Petrus Perényi coronam cum Regiis ornamentis volens periculo subducere, in hostium manus incidit. Mohátsio uterque profecti, Zápolya Pesthini substitit, Solimannus Budam, Nadasdio frustra prohibere volente, deditione accepit, deinde Viennam contendit, a qua virtute Philippi Palatini Rhenani saepius rejectus, ad Zápolyam rediit, eumque in Purpuratorum suorum, ac Procerum Hungariae corona, traditis insignibus, Re-

(a) Istvánsi L. 10. Pray. Annal P. 5. p. 194. et seqq. Hist. arcana Legat. Lask. in Belli Apparatu ad Hist. Hung. p. 159. et seqq.

gem pronunciavit. Rebus compositis, et relicto hic valido praesidio, divite praeda onustus, eum 60. captivorum millibus, quorum sorti Zápolyam illacrimatum ferunt, Byzantium demigravit.

Tum vero status Hungariae tristissimus fuit; divisis enim Hungarorum studiis, et bello pluribus annis continuato, innocens multorum sanguis fundebatur: urbes, oppida, pagi raginis mutuis, et incendiis vexabantur, ut nemo vitae, rerumque suarum securus esset, ac optimus quisque ignoraret, quem potissimum in tanta perturbatione sequi deberet. Accessit potentiorum quorundam perfidia, et avaritia, qui, ut spes lucri, aut scelerum impunitas svadebat, jam huic, jam illi Regi adhaerentes sacrae coronae, Ecclesiarum, privatorumque facultates diripiebant, Rege utroque, ne clientes amitteret, dissimulare scelera coacto.

Interea Solimannus, aemulorum discordias in sua commoda conversurus, quod Budam a Ferdinandeis oppugnatam accepisset, A. 1532. alteram expeditionem suscepit, Viennam ad ictum destinans. Neque tamen, quod cupivit, consecutus est; ad Ginsium enim, ab 800. solum praesidiariis magna virtute defensum, diu moratus, et Caroli V. Caesaris, multorumque Principum Christianorum apparatu bellico percussus, vastata non sine magnos suorum jactura Stiria, et parte Austriae, nullo praeclaro facinore patrato, Byzantium rediit. (a)

(a) Istváni L. 10. — 12. Zernegh L. 1. §. 9. — 11. L. 2. §. 1. — 7. Jovius Hist. sui temp. L. 28. 30. Velius L. 6. — 9. Melch. Soiter a Vinda de bello Pannonico L. 2.

§. 5.

Zápolya continuato bello, pace Varadinensi Regis titulum, et Transilvaniam cum dimidia Hungaria, ad dies vitae possidendam obtinuit.

Sed clientem suum Joannem porro quoque ad-
jutum ibat, donec ispace A. 1558. Varadini con-
clusa, Regis titulum, appellationem fratris, Tran-
silvaniam cum dimidia Hungaria, ad dies vitae pos-
sidendam, a Ferdinando obtinisset; ipse e con-
trario pollicitus, se ab initis contra Domum Au-
striacam foederibus recessurum; nec se, nec suos
posterorū juris sibi aliquid in Hungariam arrogatu-
ros, nisi exstincta Principum Austriacorum fami-
lia; filium si relinqueret, aut viduam, hanc dote,
et paternis mariti bonis, illum, praeter haec,
obtenta in connubium Ferdinandi filia, Scepusien-
si Ducatu contentum fore. His praeterea additum,
ut bona, quae durante bello, in alienas manus ve-
nerunt, pristinis dominis redderentur; unus toti
Regno Palatinus praeesset; ceteros Magistratus
publicos ambo Reges suis in aulis haberent. (a)

§. 6.

*Confecta pace, isabellam sibi despondit, ex
qua postquam filium suscepisset Joan-
nem Sigismundum, obiit.*

Confecta pace, Zápolya Isabellam Sigismundi
Poloniae Regis filiam sibi despondit, ejusque nu-

(a) Wolfg. Bethlen. L. 2. Pray Annal. P. 5. p.
297—305.

ptiarum solennia Ferdinandus legatione ornavit. Sed legatus Casparus Szeredius, Proceres quosdam a Zápolya ábstrahendo, novam huic offensionis causam praebeuit. Quare Ferdinando non satis fidens, habito Tordae A. 1540. Procerum suorum concilio, redeundum esse ad Turcarum societatem decrevit. Cumque viribus paullatim deficeret, uxori Reginae, et quam utero gerebat, proli Petrum Petrovits cognatum suum, et Georgium Martinusium Varadinensem Episcopum Tutores constituit, Proceribus majorem in modum commendans, ut, si filius nasceretur, illum potius, quam exterum, Regem eligerent. Post neque ita multo, accepto Buda laetissimo nuncio, Regina partu levatam, filium edidisse Joannem Sigismundum, A. 1540. Szászebesini in Transilvania diem supremum obiit. (a)

§. 7.

Pax Varadinensis, svasu Tutorum Joannis Sigismundi, violata, occasionem praebeuit Solimanno, Budam fraude, et remota in Transilvaniam Isabella, magnam partem Hungariae bello occupandi.

Jam tum ex pactis Varadinensibus, totius Hungariae, ac Transilvaniae possessio ad Ferdinandum pertinebat. Verum Tutores Joannis Sigismundi, collato cum Proceribus Zápolyaianis consilio, infantem Regem declararunt, cumque, ut a Ferdinando securus esset, Solimanno in clientelam com-

(a) Istvánfi L. 13. Bethlen. L. 2. Zermegh. L. 2. §. 12.

mendarunt, ipsi cum tertio Valentino Török, dum puer adoleceret, curam Reipublice habituri. Ferdinandus postquam Solimannum, et Isabellam frustra monuisset: observari Varadinensia pacta oportere: Budam a Leonardo Velsio tentari jussit Sed hic justo tardius, quo missus erat, pervenit, et brevi obsidionem solvit, quod hiemis rigor instaret, et Isabella Regina spem pacis Ferdinando fecisset. Sequenti anno Buda haud difficulter in Ferdinandi venisset potestatem; nisi Rogendorffius, Révaianae gloriae invidus, optima consilia evertisset. Idem Mohammede Belgradi Praefecto obsessis in auxilium veniente, cum et Solimannus propediem adfuturus nunciaretur, exercitum in adversam Danubii ripam volens trajicere, cladem magnam accepit paulo post Comaromii animi dolore consumptus. (a)

Adfuit re ipsa Solimannus, et paucis post Rogendorffii cladem diebus, in vicinis veteri Budae campis castra fecit. Caesis illic per tyrones suos omnibus captivis, et eorum, qui priore bello inclaruerant, laude, ac praemiis exulta virtute, copiosum militem astu in urbem immisit, quo eam sine strepitu sui juris faceret. Deinde Reginae nunciavit: Quoniam ipsa hostibus reprimendis impar esset, se Budam, et inferiorem Hungariam, dum puer adoleceret, contra Ferdinandum tuiturum: Regina, constituto Lippae domicilio, in Hungaria Transibiscana, ac Transilvania rerum potiretur. Illa non sine lacrimis, ac tacito gemitu, accusans Turcarum perfidiam, durae necessitati paruit: prin-

(a) Bethlen L. 5. Jovius L. 29. Istvánfi L. 14.

ceps Regni Hungarici urbs, paucorum perfidia,
A. 1541. Turcarum subiit jugum, 145. annis sub
eò gemitura. (a)

Sequentibus annis, continuato bello, Turcae
Valponem, Quinqueecclesias, Siklosinum, Strigo-
nium, Albam Regiam, tam Vissegradum, Neogra-
dum, Lippam, Temesvarinum, aliasque plurimas
arces, et civitates suo imperio adjecerunt, ut vix
quidquam Ferdinandus retineret, praeter vicinam
Austriae eis, ac trans Danubium ditionem, mon-
tanas civitates, et exiguam Illyrici portionem. (b)

§. 3.

*Transilvaniam quidem, agente Martinusio,
Ferdinandus ab Isabella pro Opoliensi
Ducatu accepit, ienuitque paucis an-
nis; sed postquam Castaldi Ducis in-
sidiis Antistes sublatus fuisset, auctore
Petrovitsio, revocata Regina, provin-
ciam filio Solimanni clienti reliquit.*

Martinusius quidem, Turcarum clientelam
aversatus, simul ut errorem, illos in auxilium vo-
cando, admissum corrigeret, paullatim effecit, ut
Isabella, accepto Opoliensi in Silesia Ducatu, et
centum millibus aureorum, Ferdinando Transilva-
niam cederet A. 1551, at postquam Castaldi Ducis
insidiis Antistes sublatus fuisset: Transilvanos mi-
litis exteri licentia divexatos, haud difficulter Pe-

(a) Jovius L. 40. (b) Joann. Mart. Stellae Epist.
de Turcar. success. apud Schvandtn. T. 1,
p. 604. — 622. Istváni L. 15. et 16.

trovitsius pupilli Tutor permovit, ut A. 1556. Isabellam revocarent, quae perpetuis de amittendo Regno timoribus agitata, et in illustres viros saeviens, dum de restituenda Ferdinando provincia cogitat, A. 1559. extingvitur. Transilvaniam Joannes Sigismundus Turcarum eliens retinuit, qui Principatu non contentus, Regis Hungariae titulum, regionem Tibiscanam, Opoliensem item, ac Rati-boriensem Silesiae Ducatus a Ferdinando postulabat, eo minus auditus, quod hic A. 1562. promisso 50. millium aureorum censu annuo, octo annorum inducias a Solimanno impetrasset. (a)

§. 9.

Ferdinandus, electo ab Hungaris Rege Maximiliano, ejus filio natu maximo, eoque Posonii inaugurato, diem supremum obiit.

Anno sequente sublato e vivis Thoma Nádasdi Palatino, qui efficere voluerat, ut secundo genitus Regis filius, a morte patris, Regno Hungariae potiretur, agente Nicolao Olaho Archiepiscopo Strigoniensi, quem Locumtenentem Ferdinandus renunciavit, in comitiis Posoniensibus natu majorem filium Maximilianum, ab Ordinibus Regem electum, inaugurandum curavit. Inde Viennam reversus, febris vexari coepit, qua ingravescente ad extrema redactus, A. 1564. decessit, sepultus Pragae. (b) Princeps a pietate, studio Religionis, et pacis in Ecclesia, ac Imperio instaurandae, fide, liberali-

(a) Istváni L. 16. et 17. Pray Annal. P. 5. p. 481. — 555. (b) Pray Annal. P. 5. p. 542. 50. — 555.

tate et clementia non tantum a Scriptoribus Christianis, sed ab ipso etiam Solimanno collaudatus. Humanitatis tantae, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret. Neminem praefecit muneri, quin sapientissimis illum praeceptis in omnem eventum instrueret. (a)

Leges, quas tulit, viginti Decretis in Codice Juris Patrii continentur, quae cum multa sapienter, utiliterque praecipunt, tum illud palam faciunt: multis, gravibusque morbis Hungariam, eorum potente, laboravisse.

§. 10.

Inter adjuncta Religioni Catholicae minus faventia, doctrina Lutheri, et Calvini tam in Hungariam, quam in Transilvaniam illata est. Litterae oppressae sunt, in iis praesertim locis, quae Turcae occupaverant.

Neque Religionis Catholicae damna; etsi quam maxime cuperet, impedire potuit; nam inter adjuncta, orthodoxae fidei minus faventia, frustra obsistentibus Regibus, Lutheri, et Calvini religio tam in Hungariam, quam in Transilvaniam illata, latius in dies serpebat. Multi e Primoribus novam doctrinam amplexi, aliis exemplo suo praeiverunt. Nobiliores juvenes, cum scientiarum causa, exteris A catholicorum Academiis adiissent, adversa orthodoxae fidei dogmata, quae illic combiberant,

(a) Joann. Sambucus in Append. Rer. Hung. Busbequius Epist. 4. Legat. Turc. Istváni L. 21.

tamquam virus quoddam popularibus, domum redue-
ces, instillarunt. Duces Ferdinandi, a fide Catho-
lica alieni, multos Acatholicos in Hungariam de-
duxerunt, pulsisque prioribus Pastoribus, Paroe-
ciis, quas occupaverant, praefecerunt, ut integra
oppida doctrina sua corrumpent. Denique sub-
latis funesta ad Moháts clade plerisque Episcopis,
et magna Regni parte Turcis subjecta, homines
profani ordinis Episcopatus invaserunt, ut esset
tempus, quo nonnisi tres Antistites tota Hungaria
numerabat, qui orthodoxae fidei hostibus resiste-
rent. (a)

Bonis quoque artibus funestum fuit Mohátsium;
nam diversarum scientiarum periti, rebus in sum-
mo discrimine positus, qua cuique iter patuit, dis-
fugere, Martis potius, quam Musarum castra se-
cuti. Bibliothecae expilatae partim, partim ex-
stae. Scholae praesertim in iis locis abolitae, quae
in Turcarum potestatem venerant, ut juvenes do-
ctrinae cupidi, rursus exteras oras petere cogeren-
tur. Ea tamen fuerunt Status, et Ordines cum Re-
ge suo in bonas artes propensione, ut, armis licet
fere semper strepentibus, ad illas etiam curas suas
extenderent, lege lata in comitiis A. 1548. ut,
quae pecunia ex coenobiorum desertorum fundis
redibat, in Magistrorum stipendia, et Gymnasia
erigenda converteretur. Nicolaus Olahus recens na-
tam Societatem Jesu A. 1551. in Hungariam indu-

(a) Timon Epit. ad A. 1527. 1550. 1564. Decr. 20.
Ferd. I. Art. 52. Hist. Episcop. Varad. P. 2. p.
25. et 26.

xit, credito illi, quod Tyrnaviae condidit, Gymnasia. (a)

Ferdinandus ex uxore Anna Uladislai II. filia suscepit: Maximilianum Imperatorem, et Regem Hungariae, Ferdinandum, Joannem, et Carolum Archiduces; filias autem: Elisabetham Sigismundo II. Poloniae Regi, Annam Alberto Bavariae, Mariam Vilhelmo Juliae, et Cliviae, Catharinam Francisco Mantuae, Eleonoram Vilhelmo etiam Mantuae, Barbaram Alphonso II. Ferrariae, Joannam Francisco Hetruriae Ducibus collocatas: praeterea Magdalenam, Ursulam, Helenam Moniales.

Floruere sub Ferdinando in Hungaria magni, et illustres viri, Nicolaus Olahus, Stephanus Báthory, et Franciscus Révay, Regis, ac patriae amantissimi, Stephanus Verbötzy Juris Patrii peritissimus. Thomas Nádasdi Budae Praefectus. Neque tacendus Georgius Martinusius Magno Varadinensis Episcopus, ingenio, prudentia, et agendi dexteritate cum summis viris comparandus.

Ferdinandus I. Imp. XXXIX. ab A.
1558. — 1564. = 6.

Ab hujus aetate inauguratio Romana Caesarum omissa est. Concilium Tridentinum terminatum.

Sublato e vivis in Hispania Carolo, Imperium Ferdinandus obtinuit. Hic indictis Augustam co-

(a) Paullus Vallaszky in Consp. Reip. Litt. p. 111.
137. 172. 175. 174. 179.

mitiis, pacem publicam, profanam, et religiosam, communis concordiae gratia, confirmavit. Haecque causa erat, quod, cum Paullus IV. Pontifex Caesarem inaugurare nollet, coronatio Romana, quae olim in usu erat, omisa deinceps fuerit. Cum interea Lutheri per Germaniam, Calvini dogmata per Galliam late diffunderetur: Pius IV. Pontifex Concilium Tridenti continuandum decrevit, inivitatis frustra Protestantibus Imperii Principibus, qui de formula fidei in Synodo Naumburgica disceptabant. Tandem Concilium Tridentinum, saepius interruptum, A. 1563. finem accepit, ejusque decreta Ferdinandus in suis provinciis continuo promulganda curavit. Cujus pacis, ac Religionis Catholicae studium cum probe perspectum haberet Pontifex, usum calicis per Austriam etiam pro laicis concessit. Sperabat enim Caesar, eo obtento, subditos suos ad pristina sacra redituros. Imperatoriam sedem Viennae constituit, in eamque urbem recens natum Societatis Jesu Ordinem primus induxit. Symbolum habuit: Fiat justitia, aut pereat mundus. (a)

Maximilianus Rex. XXXVII. ab A.
1564. — 1576. = 12.

§. 1.

Hostilitates cum Joanne Sigismundo Zápolya exercitae, bellum Turcicum post

(a) Alphonsus Ulloa vita Ferdinandi I. S. Schard Epitome rerum gestarum sub Ferdinandi I. Imperio.

se traxerunt, in quo immortalis nominis heros Nicolaus Zrényius Szigethvarini Praefectus caesis 20. millibus barbarorum, e praesidio erumpens, et fortissime dimicans occubuit.

Maximilianus Ferdinandi I. filius, Posonii A. 1565. inauguratus, a morte patris Regnum pleno jure adiit. Statim illum in principio Joannem Sigmundus Zápolya bello Turcico involvit. Nam cum nec Regis Hungariae titulum, neque Transilvaniae a sacra corona immunitatem impetrasset: regionem Tibiscanam infestis signis petiit; unde virtute Lazari Schvendii rejectus, pluribus arcibus amissis, Solimannum Sultanum de re fecit certiorum, qui cum superba ad Regem mandata dedisset, de restituendis Joanni, quas occupaverat, arcibus, et mittendo sine mora Byzantium tributo, quod a morte Ferdinandi solutum non erat; et ab illo vicissim dignitati non minus suae, quam aequitati consentanea responsa accepisset: tum id se facturum, cum sumtus belli Joannes, qui prior pacem fregit, solverit, et Turcae, quae contra induciarum fidem occupaverant, restituerint: irritatus bellum Maximiliano inferre decrevit A. 1566. (a)

Rex, idemque Caesar periculi admonitus; Ordines Imperii Augustam, Hungaros Posonium convocat, et obtentis utrinque subsidiis, copias triariam dividit: Lazarum Schvendium ad Tibiscum, Carolum fratrem in Croatia res curare jubet, ipse

(a) Bethlen L. 6. Petrus Bizarus apud Schwarzdn.
T. 1. p. 667. et seqq. Istváni L. 22.

cum centum amplius millibus se ad Jaurinum confert. Interea Solimannus, magnum ducens exercitum, Belgradum appulit, et Joanni Sigismundo porrecto libello supplice, Budam cum inferiore Hungaria postulanti, haud difficulter annuisset; nisi juvenis sua arrogancia Mehemetem Vezirium a se, hic Sultani ab ipso animum avertisset. (a)

Belgrado digressus Sultanus, Agriam primum, dein, mutato consilio, Szigethvarinum oppugnare constituit, Mehemetis Dispensatoris, amici, et carissimi sibi hominis necem ulturus, quem Praefectum Bosniae renunciatum, dum munus aditurus, in provinciam tenderet, Szigethvarienses praesidarii, noctu ad Siklosinum repente obrutum, eum filio, ac trecentis equitibus, quos viac comites habuit, trucidarunt. Praeerat tum Szigethvarino magni nominis heros Nicolaus Zrinyius, qui de adventu hostium edoctus, contractis undique copiis, quae necessaria obsidionem toleraturis videbantur, diligenter comparavit, et in arcem intulit, certus animi, vitam prius ponere, quam facere deditio-nem. Nec minore, quam constituerat, virtute locum illum tuebatur, dum moenibus denique in rudus prolapsis, facta eruptione, in medio hostium fortissime dimicans occumberet. Solimannus viginti suorum millibus desideratis, priusquam praesidio potiretur, morbo epileptico consumtus est. (b)

(a) Istváni L. 25. (b) Bizarus l. c. Istváni L. 23.
Hist. expugn. arcis Szigeth apud Schwandt.
T. 1. p. 725.—736.

§. 2.

Factas cum Turcis inducias, pax cum Joanne Sigismundo excepit, cui is non diu superstes fuit.

Successorem Selimum habuit, a quo Antonius Verantius Episcopus Agriensis inducias in annos octo obtinuit. Has A. 1570. pax cum Joanne Sigismundo secuta est his legibus: Serenissimi Principis appellatione contentus, Regis titulo abstineret. Bihariensem, Marmarosiensem, Szolnokiensem, et Krasznensem Comitatus ad dies vitae, Transilvaniam jure haereditario possideret, obtenturus Opoliensem Ducatum, si a Turcis illa ejiceretur. Quodsi haereditatem non relinqueret, liberum esset Transilvanis eligere sibi Vajvodam, clientis tamen fide Regi Hungariae obstrictum. Alterutram denique e Maximiliani neptibus matrimonio sibi jungeret. Sed ille nondum elapso ab hac pace anno, in morbum recidit, quem intemperantia vitae jam pridem contraxerat, et A. 1591. Albae Juliae extinctus est. (a)

§. 3.

A Transilvanis Stephanus Báthory Vajvoda electus est, quem Maximilianus in fidem recepit.

Nunc Transilvani liberam nacti eligendi Vajvodae potestatem, Stephanum Báthory multis virtutibus clarum, ultimo gentis Zápolyainae surcu-

(a) Istváni L. 24. Bethlen L. 5. Forgáts L. 20:
et 21: 4*

lo suffecerunt. Approbaverunt electionem Maximilianus, et Selimus, modo recens creatus Vajvoda, quibus decessores ejus Regibus Hungariae, aut Turcis sese obstrinxerat, pactorum fidem servaret. Maximilianus praeterea jurisjurandi formulam misit, quod sibi Vajvoda nuncuparet. Balthorius paruit, ne dignitatem suam in discrimen adduceret; etsi non aequo animo ferret, Regem suo arbitrio reservasse, quamdiu Vajvodatum gereret. (a) Quae res novis postea pactis occasinem praebuit, quibus cautum erat: Ut Transilvaniam Balthorius saerae coronae cliens ad dies vitae moderaretur, et ab illius obitu provincia tota ad Reges Hungariae rediret.

§. 4.

Eundem ad solium Polonicum, quod ipse ambiverat, esse evectum, aegerrime tulit.

Sed Stephanus, extincta in Sigismundo II. Poloniae Rege stirpe Jagellonica, et Henrico Duce Andegavensi, cui Proceres A. 1574. Regni gubernacula tradiderant, post quinque menses ad capessendum, morte fratris sui Caroli IX. vacantem Galliae thronum discedente, Rex Poloniae creatus; fratri suo Christophoro Transilvaniae gubernandam reliquit, et A. 1576. inauguratus, accepta in matrimonium Anna Sigismundi II. sorore, conciliatisque sibi postmodum omnium animis, nobilissimam gentem Polonam ad summum gloriae, et potentiae apicem evexit.

(a) Jurisjurandi formula apud Bethlen L. 6.

Pars Procerum Poloniae Regnum Maximiliano obtulerat, modo propositas sibi condiciones, in aditu Regni, jurejurando se confirmaturum, promitteret. Has primo Caesar ratas habere noluit, quod arcetis admodum limitibus Regis auctoritatem constringerent; deinde, cum florentissimi Regni potiundi cupiditate flagraret, easdem, sed sero, probavit: cunctantem enim Caesarem Bathorius celeritate superavit; contra quem cum Gregorium XIII. Pontificem, et omnes pene Europae Principes in armorum societatem pellicit, A. 1576. Ratisbonae moritur. Sepultus est Pragae. (a) Princeps, cui mira sermonis comitas, Religionis, et bonarum artium studium, atque clementiae omnium amorem conciliavit. Praeter Latinum, Germanicum, Hispanicum, et Italicum, Gallicum quoque, Hungaricum, et Bohemicum sermonem egregie calluit, ut cum quibusvis subditis proprio idiomate loqui posset. (b)

Ex uxore Maria, Caroli V. Imperatoris filia, suscepit Rudolphum, et Mathiam, utrumque Imperatorem, ac Regem Hungariae, item Ernestum Archiducem, Maximilianum Magistrum Ordinis Teutonici, Albertum Belgii Governatorem; filias autem: Annam Philippo II. Hispaniae, Elisabetham Carolo IX. Galliae Regibus nuptui traditas, et Margaretam Sanctimoniam.

(a) Istváni L. 25. Bethlen L. 6. (b) Istváni initio L. 22.

§. 5.

Leges Maximiliani septem Decretis continentur. — Eo regnante, doctrina Socini in Transilvania confirmata est. Neque Protestantium, et Reformationum incremento validum impedimentum poni potuit. — Gymnasia, et inferiores scholae complures conditae sunt.

Leges Maximiliani septem Decretis continentur, quae omnia in comitiis septies Posonii celebratis edita, eo valuerunt, ut multis gravibus vitiis, quae tempore bellorum irrepserant, profligatis, prohibitis violentis honorum invasionibus, ac rapinis, coercita Judicum in ferendis sententiis iniquitate, instauratis limitaneis arcibus, re militari bene constituta, tam communi totius civitatis, quam singulorum securitati, salutique consuleretur.

Favore Joannis Sigismundi, per Blandratam, perniciosum ex Medico Theologum depravati, multum propagata, et confirmata est in Transilvania doctrina Socini, qui rejecerat omnia illa Religionis dogmata, quae captum humanae mentis superant. Neque Protestantium, ac Reformationum incremento validum impedimentum poni potuit, etsi Maximilianus in Hungaria, Stephanus Báthory in Transilvania id quam maxime cuperent. Illud in Religionis Catholicae commodum a Maximiliano factum est, quod complura beneficia Ecclesiastica, quae Praefecti militares, ut militi extero stipendia compararent, vendiderant aut pignori do-

cauerant, e possessorum manibus vindicata, legitimis dominis restituerit. (a)

Bonarum artium studia et ipse Maximilianus coluit, et viros sis deditos, quos frequentes in Aula habuit, munifice fovit. Academiis tamen, in quibus scientiae sublimiores traderentur, nondum in Regno erectis, juvenus majoris doctrinae eupidus, exteris adire provincias debebat. Gymnasia vero, et inferiores scholae, praesertim a Protestantibus, complures conditae fuere. (b)

Aetate Maximiliani floruit Joannes Sambucus Tyrnaviensis, qui relicta in juventute patria, in praecipuis Italiae, Galliae, et Germaniae Academiis duos supra viginti annos versatus Medicus, Poeta, et Historicus insignis redivit, Regi a consiliis, Historici Caesaris munere praeterea ornatus. Antonius Verantius Archiepiscopus Strigoniensis, Cancellarius, et Locumtenens Regius, vitae integritate, litterarum amore facundia, et magna rerum peritia conspicuus. Nicolaus Zrényi Szizethvarini Praefectus, artis militaris optime gnarus, Regi, et Patriae ad mortem usque fidissimus Stephanus Báthory Transilvaniae Vajvoda, postea Rex Poloniae singularibus animi dotibus ex cultus. Petrus Keglevits, Georgius Zrényi, et alii plures toga, sagoque clari.

(b) Timon ad A. 1564. 1566. 1571. Decr. II. Maximiliani Art. 51. Decr. III. Art. 36. (b) Vallaszky-ni Consd. Reip. Litter. Status Litter. I. saec 16.

Maximilianus II. Imp. XL., Rex. XXXVII.
ab A. 1564. — 1576. = 12.

*In Protestantibus liberalis, Grumbachium
Herbipolis invasorem proscripsit, quem
deinde Saxoniae Dux captum supplicio
adfecit.*

Maximilianus inter Imperatores Germaniae hoc nomine II. amisso patre, rerum potitus, Ferdinando fratri Tyrolim, et Austriam superiorem, Carolo Stiriam, Carinthiam, atque Carnioliam concessit. Privilegia Protestantium, quae a Carolo, Ferdinandoque obtinuerant, in comitiis Augustanis confirmavit, idque fecit, ut Catholicos inter, ac Protestantibus concordiam stabiliret, et contineret in officio illos, qui peculiari sectae addicti, non minus Catholicis, quam Protestantibus inimici fuere. In iisdem comitiis Grumbachium, qui occiso Episcopo, Herbipolim invaserat, cum fautoribus proscripsit. Illum Joannes Fridericus Dux Gothanus, Electoris Saxoniae a Carolo V. Ducatu, et dignitate privati filius, ad se receptum fovit; cujus molimina cum eo simul pertinere viderentur, ut paternas ditiones recuperaret: Augustus Elector Saxoniae, jussu Caesaris, arma in ipsum sumpsit, captaque Gotha, Grumbachium in potestatem redactum supplicio adfecit, Joannem Fridericum ad Caesarem misit, in perpetuis carceribus detinendum, Gothae denique praesidium solo aequavit. Symbolum Maximilianus habuit: Dominus providebit. (a)

(a) Hubert. Languet de rebus gestis sub Maximiliano II. Londorpii Epitome rerum gestarum sub Maximil. II.

Rudolphus Rex XXXVIII. ab A. 1576
— 1608. — 52.

§. 1.

Crebrae nostrorum cum Turcis velitationes; in apertum bellum proruperunt, quo Sinanes Vezirius deditioe accepit Jaurinum, virtute Principis Schwartzburgici, et Nicolai Pálfi recuperandum. Ab aliis Ducibus aliae arces expugnatae, et hostes pluribus praeliis fusi sunt.

Rudolphus Maximiliani filius, Posonii A. 1572. Rex Hungariae electus, coronatusque, patre mortuo, Bohemiae quoque, et Imperio Romano Germanico summa praefuit potestate, qui cum studiis litterarum, in primis Astronomia, et Chymia mirum in modum delectaretur: bellica per Hungariam negotia in Ernestum fratrem, per Illyricum in Carolum patrum, cui Carolostadium suam originem debet, transtulit. Subinde vero, quod Rudolphus Pragae siderum contemplationi deditus, Hungariam numquam adiret; res quoque civiles curandas accepit Ernestus, eique A. 1593. ad Belgium gubernandum misso, Mathias successit; Carolum autem. A. 1590. extinctum in Illyrico Maximilianus, rei militari praefectus, excepit. Sed haec serius evenere. (a)

Interim Regem ad otia litteraria adspirantem Sinanes Vezirius bello Turcico implicuit. Cum

(a) Decreta Rudolphi. Istváni L. 25.

Amurathe III. Sultano octo annorum inducias initio regiminis pactus fuerat Rudolphus. A Tartarum bellum adversum Persas gerebatur, quo confecto, Sinanes Vezirius homo ferox, et pugnandi cupidus, cum Sultanum ad fidem induciarum violandam adducere non posset, dolo utendum ratus, in primis Hassanem Bosniae Praefectum litteris monuit: praedas in terris Christianorum ageret, qui si vim vi repellerent, Byzantii quereretur, inducias a Christianis non observari. Facile hominem suum similem in suam perduxit voluntatem. Sed illum, repetita Croatiae populatione, Sisciae oppugnationem validius urgentem, Petrus Erdödy Illyrici Praefectus repente obruit, et post acre certamen, in quo duodecim mille barbari cum todidem Begis ceciderunt, in Colapim impulit. Qua re concitatus Amurathes. A. 1593. bellum Rudolpho denunciavit, et Sinanes fraudis successu lactus, 150,000. armatorum in Hungariam adduxit, ac post felices Mathiae, et Maximiliani Archiducum, tum aliorum Ducum progressiones, A. 1594. Hardeccii, et Perlini Praefectorum perfidia, Jaurinum deditioe accepit. Comaromio a praesidiariis rejectus, cum Mathiam Archiducem obsessis auxilio venire intelligeret, fugienti similis Byzantium demigravit. (a)

Continuato sequentibus annis bello, Mathias Archidux Strigonium, Princeps Schvartzenburgicus et Nicolaus Fálfi Jaurinum e Turcarum manibus dicarunt: recuperata A. 1601. Alba Regia, septem ante anno amissa est. Buda etiam semel, ite-

(a) atváni L. 25. 26. 27.

rumque tentata. Maximilianus vero Archidux, Sigismundi Bathory Transilvaniae Principis copiis auctus, conserto ad Heresztes praelio, Mohammedem III. Amuratis successorem, postquam Agriam exterius militis prodicione occupasset, tanta clade adfecit, ut viginti suorum millibus desideratis, ad sua redire cogeretur. 1596. Multiplicatis subinde ad Balathonem, Sexardinum, Posségam, Vacium, Strigonium Turcarum cladibus, sopitoque bello Botskaiano, induciae in annos viginti cum Achmete Sultano coaluerunt. A. 1606. (a)

§. 2.

Durante bello Turcico Sigismundus Báthory Princeps Transilvaniae foedus sibi utile, et gloriosum cum Rudolpho inivit.

Interea majus ex Transilvania intervenit periculum. Juvat rem altius repetere. Stephanus Báthory Regnum Poloniae consecutus, uti supra dictum est, Transilvaniam fratri suo Christophoro tradidit. Huic filius Sigismundus, consensu Ordinum, Princeps successit, qui Turcarum clientelam aversatus, A. 1595. cum Rudolpho foedus fecit his legibus: Principis Imperii, et Equitis aurei velleris honore ornatus, obtento simul in Moldaviam, et Valachiam jure, acceptaque in matrimonium Christina, Caroli Archiducis filia, Transilvaniam cum parte Hungariae jure haereditario possideret, Regibus tamen Hungariae fide obstrictus, ejusque

(a) Istváni L. 28.—54. et Corp. Jur. Patr. T. 1. p. 645.—650.

stirpe extincta, ditio omnis ad Reges Hungariae rediret. Rudolphus contra omnibus viribus Principem adversum Turcas tueretur, a quibus si forsitan Principatu ejiceretur, vitae adminicula illi praeberet. (a)

§. 3.

Sed homo inconstans turbis occasionem praebeuit, cum, dimissa provincia, jam vitam privatam agere, jam mutata voluntate, dominari mallet.

Sed res optime hac ratione compositas, Sigismundus sua inconstantia corrumpit. Nam A. 1597. cum Caesare pactus, repudiata nobilissima conjugē, traditaque Caesari Transilvania, ad Opoliensem Ducatum anno sequente se contulit. Inde quidem non multo post, consilio Stephani Botskay, tum jam ad Principatum adspirantis, morem gerens, Claudiopolim rediit, et uxori conciliatus, veniam a Caesare petiit; sed nondum Praga Oratores redierant, novis intemperiiis agitatus, remissa Graecium uxore, Andreae Báthory Cardinali, et Episcopo Varmiensi, patruo suo provinciam tradidit ea lege: ut sibi privatam vitam acturo, praeter quasdam possessiones, 24 millia aureorum quotannis numeraret, et Christinae uxori dotem promissam solveret. Verum Andream A. 1599. a Michaele Valachiam Vajvoda subito oppressum, et praelio victum, dum per devia nemorum fugiti-

(a) Istváni L. 29. Corp. Jur. Patr. T. 1. p. 585.

vus salutem quaereret, Siculi obtruncarunt. Post eam patrum caedem Sigismundus, auctore Botskaio, rursus ex Moldavia in Transilvaniam rediit; sed a Basta, quem Caesar ad occupandam suo nomine provinciam miserat, profligatus, cum paucis evasit, unde venerat.

Occupatam Transilvaniam Rudolphus Bastae, et Michaeli Valachiae Vajvodae gubernandam credidit. At prior, ut pro sua libidine dominari posset, collegam e medio sustulit. Rediit iterum in provinciam Sigismundus; verum spe ejus retinendae amissa, veniam suae inconstantiae a Caesare petiit, qua impetrata, reliquam vitam privatus egit. (a)

§. 4.

Transilvanis Praefecto suo Basta, a Caesare constituto, pessime contentis, Stephanus Botskay, velut libertati, et religioni Protestantium illatas injurias vindicaturus, gravissimum bellum excitavit, et Princeps Transilvaniae creatus, magnam Hungariae partem occupavit.

At Basta crudelitate, avaritia, et permissa militi rapinas exercendi licentia, adeo irritavit Transilvanos, ut plurimi, dummodo jugum illius excuti posset, Turcis servire mallent. Ab his igitur Moyses Siculus, Dux nuper Báthorii, Princeps creatus est; qui redactis in potestatem pluribus urbibus, quum Cibinio Coronam versus exercitum

(a) Istvánfi L. 50.—33. Bethlen Libro 10. et 11.

duceret, a Radulone Valachiae Vajvoda oppressus, periit. Rex malo remedium allaturus, ex Germanis, et Hungaris Transilvaniae decem viros delegit, qui, Praeside Basta, ex legum praescripto provinciam administrarent. Sed gravius jam malum neque hoc remedio curari potuit. Effugerat inter alios cladem, Moysi illatam, Gabriel Bethlen, et se Temesvarinum contulit. Illum igitur Turcae, oblatis auxiliis, ad invadendam Transilvaniam incitant. Cujus rei certior factus Stephanus Botskay, magnis promissis ab ambiendo Principatu hominem dimovet, illiusque opera Turcas sibi conciliat, et Caesareos Duces, simulata in Rudolphum fide, deludere conatur. Sparsis deinde A. 1604: per Hungariam litteris, questus est; gentis jura, immunitatesque violari, et religionem Protestantium indigne opprimi: proinde se libertati, et religioni illatas injurias armis vindicare constituisse. Qua re effecit, ut magnus plebis, et Nobilium Hungariae numerus ad ejus signa conveniret. In spem erectus, bellum in Hungariam transtulit, et postquam A. 1605. Claudiopoli Principatus insignia a legato Turcico accepisset, magna celeritate usus, usque Posonium omnem citra Danubium sitam Hungariae regionem, tum plures trans Danubium arcus suae potestati subjecit; tantum enim brevi tempore ex Nobilibus, atque colonis, quos promissione munerum, aut minis ad se pellexerat, contraxit exercitum, ut ei frangendo universae vires Caesaris collectae pares non essent. (a)

(a) Istváni L. 55. et 54. Franciscus Kazy L. I.

§. 5.

Bellum hoc, agente Stephano Illésházy, pace Viennensi sopitum est, quâ Botskay jus hæreditarium in Transilvaniam, Protestantes liberum religionis exercitium, et aditum ad ipsam Palatini dignitatem obtinuerunt.

Quapropter ne Bohemos quoque, et Moravos Protestantes idem furor corripere, Caesar cavere volens, pacem restituere Hungariæ quibuscumque pactis decrevit. Quem in finem Stephanum Illésházy, magni consilii virum, et magnæ apud omnes auctoritatis, qui ut latam in caput, fortunasque suas a Camera sententiam declinaret, biennio fere in Polonia exulabat, revocandum censuit, cujus potissimum opera in hoc negotio uteretur. Hic ad Botskaium prius veniens, ejusque factus consiliorum particeps, prudentia sua paulatim effecit ut et pacem Botskay desideraret, et ejus conficiendæ negotium sibi uni deferret. Itaque Viennam profectus, A. 1606. pacem cum Mathia sanxit his legibus: Botskay, restituitis, quæ occupaverat, Transilvaniam cum aliquot Hungariæ Comitatus jure hæreditario teneret: si hæredem non habuerit, omnis ditio ad Rudolphum, ejusque successores rediret. Palatinus quam primum crearetur, concessio etiam Protestantibus ad eam dignitatem aditu. Religio omnium libera ubique esset, absque tamen Ecclesiæ Catholiciæ detrimento. etc. (a)

(a) Istvánfi L. 34. Corp. Juris T. 1. p. 643.—650.

§. 6.

Mortuo Stephano Botskay, Transilvani Sigismundum Rákótzzy, postea Gabrielem Báthory Principes elegerunt. Rudolphus autem Hungariam, Austriam, et Moraviam Mathiae concessit.

Confecta pace, Botskay e vivis excessit: Transilvani contra, quam constitutum erat, Sigismundo Rákótzzy Principatum contulerunt, qui morbis, et aetate fractus, eundem cessit Gabrieli Báthory A. 1608. Id et Rudolpho, et postea Mathiae ferendum erat, ne mala priora redirent. Sed tum neque Rudolphus diu Hungariae praefuit, qui, quod uxorem numquam duxisset, haereditatem non habuit. Igitur Ferdinando Archiduci, Caroli Stiriae Ducis filio tam Imperium, quam Austriacas, et Hungaricas provincias tradere constituit. Id Mathias prohibiturus, perductis in suam voluntatem Hungaris, Austriacis, et Moravis, fratrem belli minis adigit, ut sibi A. 1608. Hungariam, Austriam, Moraviam, ac triennio post Bohemiam ipsam cederet. Reliquam vitam in litterario otio Pragae exegit, A. 1612, e vivis sublatus. Litterarum, et pacis amans Princeps, qua tamen longo tempore sui regiminis frui non potuit. (a)

(a) Istvanfi. L. 54. Epit. L. 35. et 36. Kazy L. 1. Révay apud Schwandtn. T. 2. p. 787.—792.

De legibus Rudolphi. Viri celebriores.

In Codice legum 15. numerantur Rudolphi Regis Decreta, omnia in comitiis Posonii celebratis edita. Sanctiones legum aliae ad rem sacram pertinent, quarum una haecenus editas contra Acatolicos constitutiones confirmat; aliae accuratam judiciorum rationem, aliae coercendam militum licentiam praecipunt; aliae militis, aut pecuniae subsidia in belli usum decernunt.

Inter viros eruditione claros, post Rudolphum, memoria digni sunt: Nicolaus Istvánfi, qui Historiam Hungariae ab A. 1490. ad 1606. libris 54. complexus est. Petrus de Réva Sacrae Coronae Custos, a Commentario de Sacra Hungariae Corona, Historiaeque Hungariae compendio proposita celebris Zacharias Mossótyz Episcopus Nitriensis Collectionem Decretorum Regionum pleniorum, fecit. Georgius Draskovits Episcopus Jaurinensis doctrina, et probitate morum conspicuus.

Praeter hos floruerunt: Nicolaus Pálfi rei militaris peritissimus, et patriae amantissimus, expugnato Jaurino, oblata ibi in proemium centum aureorum millia accipere noluit, asserens: se patriae filium eidem operam suam gratis impendere et fuisse semper, et esse paratum. Petrus Erdödy Illyrici Praefectus a pluribus victoriis, quas de Turcis retulit, clarus. Georgius Zrenyi Nagy Kanizsae, Joannes Draskovits Illyrici Praefecti etc.

Rudolphus II. Imp. XLI. ab A. 1576. —
1612. = 36.

Simultates inter Catholicos, et Protestantes pluribus in locis in vim apertam eruperunt. Bohemis, et Silesiis liberum religionis exercitium a Caesare Litteris Majestatis concessum est.

Rudolpho II. Caesare Mathematicis, et Chymicis studiis Pragae immerso, Protestantes in Imperio complures turbas fecerunt. Aquisgranenses Catholici A. 1580. a Protestantibus Senatu ejeti, non nisi viginti annis post pristina jura armis vindicarunt; quod Rudolphi mandata, quae in favorem Catholicorum dederat, contemnerentur. Gebhardus Archiepiscopus, et Elector Colonien-sis, Lutheri doctrinam secutus, frustra resistentibus Catholicis, et Capitulo Coloniensi, subditis suis liberum religionis exercitium concessit; urbem Bonnam occupavit; thesaurum Ecclesiae diripuit; Agnetem Joannis Georgii Comitis Mansfeldensis filiam sibi despondit; qui cum lenibus remediis ad frugem revocari non posset, anathemate percussus, et ab Ernesto Bavariae Duce, ad Archiepiscopatum Coloniensem evecto, in Hollandiam profligatus est A. 1584. Similes ortae sunt discordiae propter Episcopatum Argentoratensem, quem Catholici Carolo Lotharingico Cardinali, Protestantes Joanni Georgio Marchioni Brandeburgico contulerunt. Multis propterea susceptis dimicationibus. Carolus 150. florenorum millibus, et annuo 9,000. florenorum stipendio mercatus est a Joanne bona Episcopatus. Dona-

vertanam urbem in Catholica sacra occasione Theophoricae Processionis injuriam, Caesareisque mandatis parere nolentem, Rudolphus Bavaricae ditioni subjecit. Ejus urbis casu irritati Protestantes, Calvini asseclas ad suas partes pertrahunt foedusque Heilbronae ineunt, quod Unio Protestantium appellatur. Vicissim Catholici alio se foedere obstringunt, quod Liga dicitur, ad mutuum contra Protestantes defensionem. Ligae Dux Maximilianus Bavarus, Unionis caput Fridericus V. Elector Palatinus fuit. Duplex hoc foedus cruenta postmodum bella peperit. Accessit bellum Successionis Juliacensis, et tumultus Bohemicus. Sublato e vivis Joanne Wilhelmo ultimo Duce Juliacensi, bona ad Ducatum pertinentia tres Principes sibi vindicare voluerant: Philippus Ludovicus Palatinus Neoburgicus, qui Ducis sororem Annam in matrimonio habuit, Joannes Sigismundus Marchio Brandeburgicus, cujus uxor Anna Joannis Wilhelmi sororis filia erat, denique Elector Saxoniae. Primus Ducatum Juliacensem, Montium, et Rauensteinium armata manu occupavit, alter Cliviam, Comitatus Marchiae, et Rauensbergae, excluso tertio. Gesto inutiliter bello, lis ad tribunal Imperiale aulicum delata, terminari non potuit: Neoburgicus, et Brandeburgicus, quae occupaverant, retinuerunt. Bohemi, ac Silesii Protestantes, cum ad eam libertatem adspirarent, quae in aliis provinciis Lutheri, atque Calvini asseclis concessa erat, non prius quieverunt, quam liberum religionis exercitium, obtinissent eo decreto, quod Litterae Majestatis

appellatur. Symbolum Rudolphi fuit: Omnia ex voluntate Dei. (a)

Mathias II. Rex XXXIX. ab A. 1608.
—1619=11.

§. 1.

Postquam ratas habuit conditiones, sibi ab Ordinibus Regni propositas, electo Palatino Stephano Illésházy, inauguratus est.

Mathias II. alter Maximiliani filius, recepta, post 58. Annorum Pragae exilium, a Rudolpho corona sacra, ut prisco ritu insigniretur, et quaedam ad tranquillitatem stabiliendam, utiliter constituerentur, comitia Posonium indixit, ad quae venienti Proceres conditiones proposuerunt, quas ante inaugurationem ratas haberet: Liberum esset cuivis Religionem, quam vellet, profiteri; extra consensum Ordinum Rex nullum bellum susceperet, nec militem exterum in Regnum induceret. Palatini electione differretur. Corona conservaretur Posonii, a viris suffragio Ordinum deligendis. Praesidiis soli Hungari praeficerentur, excepto Jaurino. Exterus miles Regno quam primum excederet. Rex in Hungaria sedem, domiciliumque suum collocaret. etc. Quibus assensus Mathias, Stephano Illésházy e quatuor Candidatis, electione Ordinum, Comite Palatii constituto, die 19^{ta} Novembris sacro diademate redimitus est. Protractis deinde in mensem Decembrem comitiis, sententia, qua recens creatus Palatinus A.

(a) Hevenhüller L. 6. et 7, Londorpius T. 5. L. 15.

1605. bonis in fiscum redactis, proscriptus erat, antiquata est, ob quam adeo illum vindictae studio exarsisse ferunt in Nicolaum Istváni, qui tum Regis locum tenuerat, ut parum abesset, quin is et vetusta nobilitate clarus et optime de Regno meritis in exilium ageretur; nisi potior Ordinum pars hemiplectico fulmine tactum commiserata defendisset.

Sequente anno Ordines Hungariae rursus Posonii convenere, ut defuncto interea Illésházio, Palatinus sufficeretur. Creatus est Georgius Thurzo: donationes a Botskaio in perpetuum, sectae, declaratae sunt irritae: lex anni superioris de milite Germano Regno educendo mitigata: Hungaris vetitum, citra Regis, aut Palatini scitum apud externos militiam facere, aurum item, et argentum Regno efferre: denique equitibus tres floreni, et viginti denarii, peditibus duo in quemvis mensem floreni decreti. (a)

§. 7.

Renovata cum Rudolpho controversia, Bohemiam ipsam obtinuit. Post gestum cum Gabriele Báthory minus prosperum bellum, cum novo Principe Gabriele Bethlen foedus percussit.

Soluto conventu, dissidia inter Mathiam, et Rudolphum recruderunt. Hic quum A. 1608 fratri Hungriam, Austriam, Moraviamque traderet, spem quoque fecit Bohemiae obtinendae. At nunc

(a) Deer. I. Math. II. Kazy L. 1. p. 77. et seqq. Deer. II. A. 160. edit.

pactorum immemor, Regnum illud Leopoldo Archiduci Pataviensium Episcopo dare constituit. Quo cognito, Mathias bellum parabat; neque tamen ad manus ventum est, lite amica tractatione composita. Sed Leopoldus spe obtinendae Bohemiae se esse frustratum, dolens, A. 1611. vastata parte Austriae, in Bohemiam irrupit, quem Mathias e vestigio secutus, Praga discedere, et Caesarem ad nova pacta ineunda aedit. His potestas facta est Bohemis, Mathiam coronandi, qui 300. millia florenorum Caesari numeraret, neque se rebus Imperii immisceret. (a)

Inter haec Gabriel Báthory Transilvaniae Princeps et Hungariam nulla oblata causa, hostis in modum invasit, et Radulonem Valachiae Vajvodam, clientem Regis Hungariae provincia depulit. Sed hic Hungaricis, Polonicisque suppetiis auctus, Báthorium ad Coronam profligavit: Mathias Sigismundum Forgáts in perfidum misit, qui Claudiopoli, aliisque locis potitus, faventem in principio fortunam habuit; deinde non levem cladem accepit, cum Turcae, ac Tartari magno numero ad Báthorium accessissent. Ceterum pernicioso hoc aemulo Mathiam Turcae liberarunt, illius enim avaritia, crudelitate, vitaeque licentia offensi Transilvani, Achmetem Sultanum orarunt, ut abrogare dignitatem Báthorio, et alium eligere Principem liceret. Per idem tempus Gabriel Bethlen, quod a Báthorio neci destinaretur, quia insidias ei fecisset, ad

(a) Revenhüller ad A. 1609. 10. 11. Pray Hist. T. 3. p. 265. et 266.

Tureas profugit, et aucta novis accusationibus, Báthorii invidia, effecit, ut Achmetes Sultanus, rejecto Báthorio, Bethlenium creari Principem juberet. Quare percussus Báthory, cum ad tuendam dignitatem vires Varadini comparat, a suis furentibus obtruncatur. A. 1613. Bethlenius sine mora Principatu potitus, adversantem aliquamdiu suae dignitati Mathiam, promissa per legatos fide, et contra quosvis hostes, excepto Turca, auxiliis placavit. (a)

§. 3.

Cum filium non haberet, Ferdinandum Caroli Archiducis filium in haereditariis provinciis successorem suum designavit.

Ex hoc tempore Mathias, usque ad ultimum vitae annum, tranquillum regimen habuit: cumque ex uxore Anna, Ferdinandi Archiducis filia, nullam prolem suscepisset, Ferdinandum Caroli Archiducis, et Stiriae Ducis filium suum in haereditariis provinciis successorem designavit. Itaque primo fratres superstites Maximilianum, et Albertum in suam voluntatem perduxit; deinde ut a Bohemis A. 1617. ab Hungaris anno sequente coronaretur, effecit. At Hungari 17. conditiones proposuerunt, quas Ferdinandus ante inaugurationem ratas haberet. Praecipuae sunt: Gentis libertates, statuta, jura, consuetudines, pacificatio Viennensis, comitiorum decreta sancte observarentur. Singulis minimum trienniis generalis conventus habeatur. In negotiis ad Hunga-

(a) Hazy L. 2. Pray l. c. p. 266.—275.

riam, ejusque provincias pertinentibus Consilia cum Hungaris conferantur. Judicia, quae Octavalia vocantur, suis temporibus celebrentur. Corona domi conservetur a duobus Custodibus, qui communi suffragio constituentur. Nec pacem sancire, nec bellum movere, nec militem exterum in Hungariam inducere fas Regi sit, nisi Ordines Regni consentiant. (a)

Rebus ita constitutis, dum turbas, quae in Bohemia natae sunt, Mathias sopire cupit, lethali morbo correptus, Viennae moritur A. 1619. Princeps de Hungaria egregie meritus, quam et contra Turcas strenue defendit, et gravissimos tumultus, sub Rudolpho excitatos, prudentia sua composuit.

§. 1.

Mathiae Decreta. Status Religionis, et Litterarum. Viri celebriores.

Illius quatuor Decreta habemus edita in comitiis Posoniensibus Praecipuae legum sanctiones ex iis, quae dicta sunt, intelliguntur.

Regnante Mathia, domi omnia utcumque tranquilla fuere, nisi quod initio regiminis Praelati, et Magnates doctrinae Catholicae addicti, ob multa privilegia, quae Protestantibus concessa fuere, iudiciis certis indignationem suam prodiderint: Protestantes contra, Praelatorum auctoritatem minuere cupientes, id in comitiis egerint, ut iidem a dignitatibus profanis, Supre-

(a) Decr. I. Ferdin. II, Art. 2.

morum Comitum munere, et Consilio Regis arcerentur. Mathias, auctoritate sua nondum confirmata, cedendum aliquid necessitati putavit; sed securam nactus Republicanam, magno in avitam Religionem studio indulgentiam suam compensavit; nam rei Catholicae consulturus, eos praefecit Ecclesiis Praesules, quorum probitatem, doctrinam, religionis studium perspectum habuit. Hi regendis Ecclesiis admoti, in id magno conatu incubuerunt, ut profligatis erroribus, fidem orthodoxam pristino vigori restituerent. Itaque a Paulo V. Pontifice impetrarunt, ut Pragae, Olomucii, Graecii, Viennae minimum duodecim, Romae vero etiam plures juvenes, Reipublicae sacrae destinatos, erudiendos susciperet (a)

Litterae, inter alios, preclaros fautores nactae sunt in Hungaria Stephanum Illésházy Palatinum, et Franciscum Forgáts Archiepiscopum Strigoniensem, in Transilvania vero Gabrielem Bethlen.

Praeter hos floruerunt sub Mathia: Georgius Thurzo Palatinus, eruditus in primis additus, ipse quoque excultus litteris. Sigismundus Forgáts etiam Palatinus de Rege, et patria praeclare meritus.

(a) Hazy L. 1. et 2. Pétersi Concil. P. 2. p. 195
— 216.

Mathias Imp. XLII. ab Anno 1612. —
1619. = 7.

Protestantes Bohemiae jura sua a Caesare violari caussati, auctore Henrico Matheo Thurn; initium fecerunt belli, quod Germaniam triginta annis adflixit.

Mathias quinto mense ab obitu fratris Imperii diademate ornatus, comitia indixit Ratisbonam, subsidia in bellum Turcicum petiturus. At Protestantes, porrecto Caesari libello, questi sunt: jura sua violari. Catholici contra adfirmarunt: multa a Protestantibus inique agi, et Imperium perturbari. His offensi Protestantes, comitia deseruerunt, postquam solenniter intercessissent omnibus, quae a Catholicis decernerentur.

Accepto in fidem Gabriele Bethlen, et stabilita cum Turcis in annos 20. quam ipsi petebant, pace, coepit Mathias Protestantes Bohemiae. Domui Austriacae graves, premere, eorumque privilegia Litteris Majestatis concessa minuire. Inde gliscens animorum offensio in apertum bellum erupit, cum Mathias Ferdinandum Archiducem Bohemiae Regem declarasset: hi enim jus eligendi Regem ad se pertinere putantes, a Ferdinando magnopere abhorrebant, a quo jura sua magis accisum iri metuebant. Igitur cum Litteris Majestatis abusi, in fundis Catholicorum duo templa extruxissent, eorumque alterum, jussu Caesaris dirutum, alterum oclusum fuisset: habito clam concilio, auctore Henrico Matheo Thurn, facta conjuratione, arcem Pragensem oc-

cupant, praecipuos tres Ministros ex praealtis fenestris dejiciunt, et 30. Directores deligunt, qui Rempublicam gubernarent. Hoc fuit initium belli, 30. annis per Germaniam saevituri, quo crumpente Mathias obiit. Symbolum habuit: A. mat victoria curas. (a)

Ferdinandus II. Rex XL. ab A. 1619.

—1637.—18.

§. 1.

Bello gravissimo ex Bohemia in Austriam, reliquamque Germaniam propagato Gabriel Bethlen a Protestantibus incitatus, semel, iterum, ac tertio arma in Hungariam intulit, et praeter complures arces, septem Hungariae Comitatus pacis legibus obtinuit.

Ferdinandus II. Caroli Stiriae, Carinthiae, et Carnioliae Ducis filius, vix rerum potiri coepit, gravissimum bellum, quod sub Mathia ortum est, quodque Religionarium dicitur, e Bohemia in Austriam, reliquamque Germaniam propagatum est. Tum neque Hungariae diu quietae esse licuit; Protestantes enim Bohemi, ut Caesarem omni ex parte concluderent, Ordines Regni Hungariae Posonii congregatos, in societatem belli per Oratores vocaverunt; repulsam vero passi, ad Gabrielem Bethlen Transilvaniae Principem confugerunt. Hic in omnem belli oc-

(a) Weber Sylloge rerum, tempore Mathiae Caesaris in Europa gestarum. Londorpii bellum Sexennale, Kevenhülleri Annales Ferdinandi.

easionem intentus, libenter factiosorum votis subscripsit, et exercitum 40 millium, prius comparatum, A. 1619. in Hungariam traduxit, causam interserens, se vindicare velle Protestantium, libertatem, ut religionem suam secure possint exercere, Cassovia per deditionem potitus, et confirmata magis sua factione, totam superiorem Hungariam, usque Tyrnaviam suae potestati subiecit. Icto deinde cum Bohemis foedere, et acceptis 40 millibus aureorum, octo equitum milia in Bohemiam immisit, ipse longius progressus, Posonium, in hoc sacram coronam occupavit. Postea partem Austriae populatus, Viennam obsedit; brevi tamen urbem deserere coactus, quod deletis incendio pagis, cum terrorem ubique spargeret, vicini accolae annonam, et pecora ad tutiora transtulissent. Quare exorta in exercitu fame Posonium rediit. At reliqui rebellium Duces magna armorum felicitate usi, totum pene Regnum Bethlenio asseruerunt.

Rex e Germania militem educere non ausus, inducias illi obtulit, facta Protestantibus, dum illae durarent, conventum celebrandi, et querelas suas libere proponendi potestate. Illi inducias pacti, etsi nihil minus, quam pacem optarent, Neosolii convenerunt, et ne nihil egisse viderentur, Petrum Pázmán Archiepiscopum Strigoniensem, Ordinem Societatis Jesu, nonnullosque Procures exilio mulctandos decreverunt, Bethlenio Rege Hungariae proclamato. Soluta conventu, rursus ad arma ventum est, et sociis Turcis, Hungaria dirum in modum evastata.

Inter haec Fridericus Palatinus Rheni, a Bohemis Protestantibus, rejecto Ferdinando, Rex electus, cladem a Maximiliano Bavariae Duce ad Pragam accepit, et ex Bohemia ejectus est. Quare Bethlenius, ut bellum facilius sustineret, nec suis viribus, nec Turcarum subsidiis satis fidens, a Chamo quoque Tartarorum 40. millia militum petiit, offerens eis rapiendi, et homines in servitum abducendi licentiam. Plerisque Hungaris ea crudelitas displicuit, coeperuntque magno numero redire ad Caesarem. Proinde veritus, ne a suis repente desertus, periret, animum ad pacem serio, ut videbatur applicuit, quae Nicolsburgi in Moravia A. 1621. ea lege coaluit: Bethlenius corona, et ereptis bello ditionibus restitutus, electi Regis Hungariae titulo abstineret, honorem S. R. Imperii Principis, tum Opoliensem, et Ratiboriensem Ducatum, septem Hungariae citra, et ultra Tibiscum Comitatus, urbem Cassoviam, arces Munkáts, Tokay, et Szathmár, ad dies vitae possidendas obtenturus.(a)

Sed pax non diu constitit; nam a Mansfeldio rebellium Bohemorum Duce plectus, arma iterum corripuit, nec prius quievit, quam Bohemis a Ferdinando victis, sociisque Bethlenii Turcis dum opulentam praedam referrent, virtute Nicolai Eszterházy ad Nitriam profligatis, A. 1624. pro se, suisque haeredibus arcem Etsediam obtinisset. (b)

Haec quoque altera pax opinione brevior fuit. Rursus a Protestantibus invitatus, et augendae

(a) Kazy L. 2. p. 145.—198. Pray Hist. T. 3. p. 283.—304. (b) Kazy L. 2. p. 204.—213. Pray T. 3. p. 310.—313.

suae potentiae cupidus, facta cum Praefecto Budensi societate, tertio Hungariam armata manu invasit, quo tempore a Regio exercitu prope Ujvarinum conclusus, una cum sociis Turcis periturus videbatur, nisi homo callidus, impetratis a Vallensteinio bidui induciis, noctu ex insidiarum loco avasisset. Tum vero Turcarum, quod bello Persico distinerentur, subtracta ei fuere auxilia. Quare imparem se prosequendo bello sentiens, A. 1628. tertio pacem fecit, qua Munkatsinum jure haereditario accepit, data Regi fide, se nec aere, nec milite Bohemis deinceps auxilio futurum. (a)

Sequente anno ex hydrope obiit, relicta vidua Catharina, Joannis Sigismundi Electoris Brandenburgici sorore, in cujus verba Transilvaniae Procères paullo ante obitum jurare coegerat. At illi, rejecta A. 1650 vidua, primo Stephanum Bethlen Gabrielis fratrem, deinde illo, metu turbarum, dignitate sponte sese abdicante, Georgium I. Rákótzý Principem crearunt, eamque electionem Ferdinandus, etsi illi initio adversaretur, postmodum ratam habuit, septem Hungariae Comitatus, quos Bethlenio concesserat, cum urbe Cassovia recepisse contentus. (b)

§. 2.

Hungaria deinceps tranquilla, bellum in Germania vehementius gerebatur.

Tranquillum ipsi deinceps fuit usque ad obitum Hungariae regimen: at in Germania bellum

(a) Hazy L. 3. p. 220. — 254 Pray T. 3. p. 525. — 326. (b) Joann. Bethlen L. 1, Sect. 1. et 2.

vehementius gerebatur, post Danos, Svecis, et Gallis res Protestantium pene collapsas sustentantibus. In medio belli tumultu A. 1637. obiit, tumulo illatus Graecii. Princeps pietate, et vitae integritate prorsus singulari, Religionis Catholicae in primis studiosus, in regendis populis mitissimus, et erga omnes, etiam inimicos, adeo clemens, ut vulgo diceretur: eum primo Ferdinandi inimicum esse debere, qui maximam illius benevolentiam experiri vellet, eadenique virtute praeditus, ut Gustavus Svecorum Rex crebro diceret: sibi solam Ferdinandi virtutem esse formidabilem; Bethlenius autem fateretur: periculosum esse contra Ferdinandum pugnare, quem nec adversa dejicerent, nec prospera extollerent; Mustanes denique Purpuratus Budensis adfirmaret: Ferdinandum sanctum esse, Deum cum illo, et pro illo pugnare. (a)

§. 3.

Ejus Decreta, status Religionis et Litterarum, viri celebriores.

Decreta quatuor edidit, legum numero, et pondere insignia: primum, secundum, et quartum Sopronii, tertium Posonii, quibus partim superiorum temporum repetita, et confirmata sunt statuta, partim novae leges conditae, prout rerum, temporumque vicissitudines deposebant.

Cum ad Religionem Catholicam pristino vigori restituendam, plurimum valere intelligeret,

(a) Kazy L. 4.

si juvenus a teneris et bonarum artium studiis, et sanctis de Religione praeceptionibus imbuatur: in pluribus locis, nominatim Cassoviae, Sopronii, Neosolii scholas, publicas, et Societatis Jesu Sacerdotibus domicilia constituit. Pios Regis conatus plures potentiorem aemulati sunt. In his Petrus Pázmán Cardinalis, et Archiepiscopus Strigoniensis pluribus in civitatibus scholas erexit, Convictum Nobilium Sacerdotibus S. J. traditum Tyrnaviae, ibidem, et Viennae pro Clero Juniore Seminaria fundavit; Gymnasium Tyrnaviense in Academiam mutavit; multa Hungarorum millia, et quod prorsus singulare est, 50 illustres familias ad avitam Religionem reduxit. Unde factum est, ut sub Ferdinando II. tam Religio, quam bonarum artium studia laetiora caperent incrementa. (a).

Ferdinandus duas uxores habuit: Mariam Annam Vilhelmi Bavariae Ducis, et Eleonoram Vincentii Mantuani filiam. Ex priore suscepit: Ferdinandum III. Imperatorem, et Regem Hungariae, Leopoldum Vilhelmum Argentinum, Passaviensem, Halberstadiensem, Olomucensem Episcopum, Magistrum Ordinis Teutonici, Mariam Annam Maximiliano Bavariae Duci, Caeciliam Renatam Uladislao Poloniae Regi collocatas.

Virorum illustrium maxime ferax fuit Hungaria sub Ferdinando. Praecipui post Pázmánium fuere: Nicolaus Eszterházy Palatinus, Religioni Catholicae ita deditus, ut paternam haereditatem

(a) Kazy L. 5. et 4. Palma T. 3. edit. alt. p. 234. amit-

amittere, quam avitae fidei nuncium mittere mallet. Neque virtute bellica caruit. Andreas Dötzy Cassoviae Praefectus in fide Deo, et Regi suo data adeo constans, ut capta a Bethlenio urbe, mori in carcere, quam illam violare mallet. Stephanus Frangepan, cujus potissimum virtuti debetur, quod Bethlenii armis tota Hungaria perstreptentibus; Illyricum in fide perseveraverit Stephanus Palfi. Paullus Aponyi, Georgius Drugeth, Ferdinando apprime addieti. etc.

Ferdinandus II. Imp. XLIII. ab A.
1619.—1637.—18.

Bohemi Protestantes, rejecto Ferdinando, Fridericum V. Electorem Palatinum Regem elegerunt, quo victo, et a Caesare proscripto, primum Danos, tum Svecos, et Gallos in auxilium evocarunt, et metum belli late sparserunt.

Ferdinandus, erumpente bello Religionario, accessit ad ditiones Austriacas regendas, omnemque vitae cursum inter gravissimas curas traduxit. Protestantes Bohemi, Duce Comite Thurn, in Austriam infusi, Viennam, et in hac Ferdinandum obsederunt. Urbe ad defensionem minus comparata, et Rex in ipso palatio ab acatholicis Statuum Austriae legatis, deditionem svadentibus pene circumsessus, non longe jam ab exitio erat, quum Santilirius cum quingentis equitibus cataphractis a Dampierio missus, in foro palatii constitit, et repentino suo adventu importunos deditionis svasores dispulit. Thurnius quoque com-

perta Mansfeldii clade, quam a Bucquoio altero Ferdinandi Duce accepit, soluta obsidione in Bohemiam reversus, urbem metu, Ferdinandum periculo liberavit, qui non multo post, frustra renitentibus Bohemis, Imperator electus, et inauguratus est. At Bohemi, rejecto Ferdinando, Fridericum V. Electorem Palatinum Regem dixerunt, quem anno sequente (1620) Maximilianus Bavarus Caesari foedere junctus, ad Pragam praelio victum, tota Bohemia ejecit, et A. 1623. proscripto Friderico, Palatinum cum Electoris dignitate a Caesare obtinuit.

Friderico complures e Germaniae Principibus addicti, amicique fuere, qui cum in Saxonia Inferiore impetum exercitus Austriaci, victoriae insistentis, ferre non possent; Christianum IV. Daniae Regem in belli societatem vocarunt. Verum a Ducibus Caesareis Tillio, et Vallensteinio duabus pugnis victi sunt; Danus, occupata ab iisdem Holsatia, et Jutia, pacem petere coactus; Duces Meelenburgici cum Administratore proscripti; omnia denique Ferdinandi armis, usque ad mare Balthicum perdomita. Tantis victoriis excitatus Caesar, A. 1629. Edictum Restitutionis promulgavit, quo jubebantur Protestantes beneficia Ecclesiastica restituere Catholicis, quae post Transactionem Passaviensem occupaverunt. Hoc decretum illos extremo terrore percudit, cumque vires ad restituendum non haberent, exterorum opem implorarunt, Svecorum in primis, et Gallorum Gustavus Adolphus Svecorum Rex aetate, et rebus gestis florens, trajecto A. 1651. per ma-

re Balthicum exercitu, Caesareos ex Holsatia, et Meclenburgo ejecit, victoque ad Lipsiam Tilio, Germaniam totam torrentis in modum inundavit. Postero anno, commisso ad Lucenium praelio, Gustavus occubuit; victoriam tamen suis reliquit, qui, Rege etiam amisso, bellum ita continuarunt, ut jam vincerent Caesareos, jam ab illis vincerentur, donec A. 1634. ad Nordlingam virtute Ferdinandi III. adjuvante Nicolao Zrényi, magno praelio superati, et usque Pomeraniam retrusi fuissent. Fracti tum penitus Sveci, et Protestantes Germaniae fuissent, nisi Ludovicus XIII. Galliae Rex, consilio Ministri Richelii, studio deprimendi potentiam Domus Austriae, collapsas eorum vires, missis auxiliis sustentasset. (a) Symbolum Ferdinandi fuit: duae palmae Regia corona implicitae, cum Lemmate: Legitime certantibus.

Ferdinandus III. Rex XLI ab A.
1637.—1657.==20.

§. 1.

Ferdinandum III. Georgius I. Rákótzky, praetextu religionis, et Libertatis, bello petiit, et pace Tyrnaviensi septem Comitatus Hungariae, Tokainum, Regétzium, aliasque arces, ac possessiones accepit.

(a) Vilhelm. Lamormain S. I. de virtutibus Ferdinandi II. Carolus Carafa de Germ. Sacr. restaurata, regnante Ferdin. II. Revenhüller, Struvius, etc.

Ferdinandus III. Ferdinandi II. filius, Sopronii A. 1625. inauguratus, ab obitu patris iussit Proceres, et Nobiles Posonium convenire, ut, quae ad stabiliendam Rempublicam necessaria, aut utilia, viderentur, constituerent. Sed illi, omissis communibus negotiis, ad privata dissidia, et gravissimas de Religione concertationes devenerunt; cum Protestantes repeterent templa, suis antea usibus servientia, quae Magnates, ac Nobiles, ejuratis Lutheri, aut Calvini erroribus, ad fidem orthodoxam reversi, sibi, Catholicisque vindicaverant. Ita inter contentiones tempus exactum est, donec Rex superveniens, Ordinum studia ad Rempublicam traduxisset, ut pro illorum temporum ratione 73. leges perferrentur, ad sopiendam, non ad eradicandam penitus dissidia valiturae, Protestantibus sumendae vindictae tempus opportunius expectantibus. Ita comparatis multorum animis, Georgius I. Rákótzý Transilvaniae Princeps, invito clam cum Svecis, Germaniam tum populantibus, foedere, litteris sparsit: se ad vindicandas Protestantium injurias, gentisque libertatis tuendas, in arenam descendere. Nec mora, ingens plebis, et Nobilium multitudo ad ejus castra confluit, qui A. 1644. in Hungariam irrumpens, Cassoviam deditione accepit, inde progressus, crescente in dies factiosorum numero, montanis urbibus potitus, populationes, et incendia usque Posonium sparsit.

Ferdinandus e Germania ubi gravissimum bellum habuit, militem educere non est ausus. Quapropter Nicolaus Eszterházy collectas repente in Hungaria, quas potuit, copias Rákótzio objecit.

Vario Marte pugnatum est. Rákótzky tamen magno eum patriae detrimento bellum continuaturus erat, nisi Turcarum auxilia repente ei subtracta fuissent; quod Ferdinandus Sultanum magni pretii muneribus placatum, A. 1645. ad sanciendo 20 annorum inducias adduxerit. Hoc itaque fulcro dejectus Rákótzky, eodem anno Tyrnaviae pacem fecit, obtentis a Ferdinando septem Hungariae Comitatus, qui olim Bethlenio concessi fuerunt, praeterea Tokaino, Regétzio, aliisque arcibus, ac possessionibus; ipse vicissim promisit, se ab inito cum Svecis, et Gallis foedere recessurum. (a)

§. 2.

Ferdinandus deinceps tranquillam habens Hungariam, quaedam utiliter pro commodo Regni sanxit: primo Ferdinandum IV. hoc autem e vivis sublato, Leopoldum ab Ordinibus Regem electum, inaugurandum curavit.

Tranquillam deinceps Hungariam Ferdinandus habuit, et A. 1648. etiam Germaniae pace Vestphalica quietem restituit. Et antea jam, et postea, cum novem annis in pace regnaret, multa pro commodo Regni utiliter constituit, nominatim: Ut stabilis miles in Regno constanter aleretur; ut ad munienda, et rebus necessariis instruenda praesidia, non tantum ignobiles, verum Nobiles etiam, Praelati, Barones, dum fruges, et vicia e Regno efferrent, tricesimam solverent; in

(a) Hazy P. 2, L. 5. et 6.

Consilio Bellico duobus semper ex Hungaris locus esset, ad Supremorum Comitum dignitatem non eveherentur adolescentes, aut quibus in eo Comitatu non essent bona, cujus Comites fieri vellent; qui pecuniam ad censum locasset, non plus quam sex pro centum exigere auderet. etc. Quae omnia quatuor Ferdinandi Decretis continentur, in comitiis Poseniensibus promulgatis.

Jam A. 1647. Ferdinandum IV. inaugurandum curaverat; sed magnae exspectationis Principem A. 1654. mors abstulit. Itaque filiorum alterum Leopoldum Ordinibus Regni eligendum proposuit, votique compos factus, A. 1657. animam Creatori reddidit, sepultus Viennae. Princeps justitiae laude insignis, et vivens antea saepius, et paulo ante mortem testatus: Nihil a se umquam in rebus ad justitiam pertinentibus commissum fuisse, cujus se poenitere deberet. Pulchrum, et dignum Principe elogium!

Uxores tres habuit: Mariam Annam Philippi III. Hispaniae Regis, Mariam Leopoldinam Leopoldi Archiducis, et Eleonoram Caroli Mantuani Ducis filias. Ex prima Ferdinandum IV. Leopoldum I. et Mariam Annam Philippo IV. Hispaniae Regi nuptam ex altera Carolum Josephum Passaviensem Episcopum, et Magnum Ordinis Teutonici Magistrum; ex tertia Eleonoram Michaeli Poloniae Regi, tum Carolo V. Lotharingiae Duci, et Mariam Annam Joanni Vilhelmo Palatino Rheni collocatas suscepit.

§. 3.

Status Religionis, Litterarum, et viri prae-
cipui.

Ad stabiliendam inter Catholicos, et Protestantes concordiam. A. 1647. Posonii Ordines Regni decrevere: Omnes Hungariae cives liberum Religionis exercitium, liberum templorum, campanarum, et sepulchrorum usum, juxta proprios ritus, haberent; qui ob Religionem hactenus quoque modo turbati fuissent, pristina jura reciperent; 90. templa, a Catholicis, qui fidei Protestantium nuncium miserunt, occupata, Protestantibus redderentur, omni deinceps templorum occupatione tam Catholicis, quam Protestantibus interdicta. Haec in favorem Protestantium sancita sunt. (a) At Religioni Catholicae id emolumentum accessit, quod plurimi, praesertim Proceres, et Nobiles ejurata Lutheri, et Calvinii doctrina, ad fidem avitam rediverint.

Nec litterarum fautores deerant. (a) Ex his Benedictus Hisdi Episcopus Agriensis Academiam fundavit Cassoviae, Patribus S. J. traditam, quam A. 1660. Leopoldus M. solenni diplomate roboravit, omnibusque immunitatibus exornavit quibus veteres, ac novae per Hungariam, et Germaniam Academiae gaudebant.

Nicolaus Eszterházy, cujus in Historia Ferdinandi II. meminimus, sub Ferdinando quoque III. virtute, et rebus praeclare gestis floruit. Joannes Draskovits prius Illyrici Praefectus, postea Hungariae Palatinus, insignibus animi dotibus con-

(a) Decr. II. Ferdin. III. Art. 5-14. (b) Vide Vallaszki, et Belnái Rem Litter. Saec. 17.

spicuus, Adamus Forgáts Újvarini Praefectus, a fide in Regem, et patriam laudatus. Georgius Lippai Archiepiscopus Strigoniensis, Religionis Catholicae in primis studiosus, et alii multi toga, sagoque clari patriam sub Ferdinando illustrarunt.

Ferdinandus III, Imp. XLIV, ab A.

1637.—1657.=20.

Continuatum a morte patris in Germania cum Protestantibus, Svecis, et Gallis bellum pace Vestphalica terminavit.

Ferdinandus III, ab obitu patris, Imperii diadema consecutus, bellum Religionis causa, ut publica opinio erat, jam pridem gestum, cum Svecis, Gallis, et Protestantibus Germaniae decem annis, intra quos saepius de pace irrito conatu actum est, varia fortuna continuavit. Tandem cum Hispani, Austriaeorum praecipui adjutores, bellum cum Belgis malo successu gererent, praeterea Portugallia, et Catalaunia rebellante, opem ferre non possent; hostes autem Caesaris, repetitis in Bohemiam, et Bavariam irruptionibus, partem quoque Pragae expugnassent: coactus est Ferdinandus III, etiam cum auctoritatis Caesareae diminutione, Religionisque Catholicae, et Domus Austriae damno pacem facere, qua sopivit bellum perniciosissimum, quod tercenta hominum millia per annos triginta absumsit. Ea pax Vestphalica dicitur, quod in Circulo Vestphalico Monasterii, et Osnabrugae A. 1648. conclusa fuerint. Ejus constitutiones ad quatuor capita possunt revocari: quae Religionem, quae Imperium, quae Svecos, et Gallos concernunt.

Res Religionis sunt : 1. Confirmatur Transactio Passaviensis, et Pax Religiosa. 2. Reservatum Ecclesiasticum etiam ad Protestantes extenditur. 3. Possessio honorum Ecclesiasticorum in eo statu permittitur, in quo fuit A. 1624.

Res Imperii pae Vestphalica ita sunt descriptae : 1. Domus Bavarica maneat in possessione dignitatis Electoralis, et Palatinatus Superioris. 2. Caesar erigat octavum Electoratum pro Friderici V. filio eique Palatinatus Inferior restituatur; quod si stirps Bavarica Vilhelmina extincta fuerit, cessante octavo Electoratu, Palatinus Rheni veterem dignitatem, possessionesque suas recipiat. 3. Ne fas sit Imperatori leges sancire, vectigalia describere, bella movere, aut foedera inire, nisi cum Statuum in comitiis congregatorum consensu. 4. Ordinibus Imperii licitum sit foedera inire inter se, et cum exteris, salvo tamen jurejurando, quo quisque Caesari, et Imperio obstrictus est.

Sveci pacis Vestphalicae constitutione obtinuerunt Pomeraniam Superiorem, Rigam, Vismariam, Archiepiscopatum Bremensem, et Episcopatum Verdensem, tamquam feuda Imperii, ob quas possessiones cooptati sunt inter Status Imperii cum jure suffragii.

Gallis concessi sunt : Episcopatus Metensis, Tullensis, et Verodunensis; ex Austriacis autem ditionibus Alsatia, et Sundgovia, manentibus tamen in sua libertate decem urbibus Imperialibus, et Argentorato. Praeter haec Helvetia, quae tempore Alberti I. Imperatoris a Domo Austriaca, et Imperio se abstrahere coepit, item septem provin-

ciae Belgicae, quae a Philippo II. Hispaniae Rege defecerunt, Republicae liberae declaratae. Pacis autem hujus Custodes, ac Vindices praecipui constituti sunt Galli, ac Sveci. (a)

Hae pace confecta, novem annis Ferdinandus Imperio praefuit, cujus studio damna, diuturno bello Germaniae, et Domui Austriacae illata, sensim tolli, et novae constitutiones vim habere coeperunt. Interea celebratis Ratisbonae comitiis, Ferdinandus IV. Rex Romanorum creatus est; quo haud multo post e vivis sublato, frustra egit Caesar, ut Leopoldus alter filius suus in Imperio successor designaretur. Obstabat in primis Ludovicus XIV. Rex Galliae, qui omnem lapidem movit, ut vel ipse hanc dignitatem obtineret, vel saltem a Domo Austriaca ad aliam transferret. Symbolum Ferdinandi fuit: Honestè vivere, alterum non laedere, suum cuique tribuere.

Ferdinandus IV. A. 1647. in comitiis Posonien- sibus inauguratus, Regni gubernacula capessere non potuit; nam dum ad maximas spes cresceret, A. 1654. ex variolis decessit cum dicto: Eundem mihi est ad nostrum Dominum, et Beatissimam Matrem Dominam nostram cum Catholica fide. Ea in hoc adolescente fulgebat indoles virtutis, ut, qui eum noverant non dubitarent pronunciare: Carolum V. Caesarem in hoc Ferdinando renasci.

(a) Alb. Miraeus de rebus Bohemicis, Eberhard. Vassenberg de bellis sub Ferdinando II. et III. Riccius de bell. Germ. L. 10. Adamus Adami Hist. de pace Osnabrugensi, et Monasteriensis. Pfanner Hist. Pacis Vestphal.

Leopoldus I. Magnus Rex XLII. ab
A. 1657.—1705.—48.

*Bello Svecico Polonico feliciter defunctus,
Joannem II. Casimirum in solio Polo-
nico confirmavit.*

Leopoldus Ferdinandi III. filius, ab obitu pa-
tris rerum potitus, futurae suae magnitudini prae-
ludit, bello Svecico Polonico feliciter defunctus.
Carolus X. Gustavus Sveciae Rex, usurpatum a Jo-
anne II. Casimiro Poloniae Rege, quod Sigismun-
di III. Poloniae. Sveciaeque Regis filius esset,
Regni Svecici titulum, inimica ejusdem molimina,
et violentas irruptiones militiae Polonicae in ditio-
nes Svecorum praetexens, A. 1655. Poloniam in-
vasit, et praeter Fridericum Vilhelmum Electorem
Brandenburgicum, Georgium II. Rákótzzy Transil-
vaniae Principem in belli societatem perduxit ea
lege, ut debellato mutuis viribus Polono, Regnum
ejus inter se partirentur. Joannem Casimirum de-
fensurus Ferdinandus III. Leopoldi pater, cum Fri-
derico III. Daniae Rege, Ordinibus Germaniae
data etiam Electori Brandenburgico accedendi facul-
tate, Moscovitis, ac Tartaris foedus pepigit, ut
communibus viribus contra Carolum ejusque socios
dimicarent: at cum de simili foedere cum Polonis
tractare incipit, moritur. Perfecit illud Leopoldus,
missoque cum copiis in Poloniam Duce Hatz-
feldio, victum Rákótzium, ad deserendum foedus
Svecicum, et pacem ineundam adegit. Elector
quoque Brandenburgicus, obtento a Joanne Casimi-
ro perpetua in Borussia Polonicam jure, a Ca-

rolo Gustavo recessit, qui ex Holsatia ejectus, cum partem etiam Pomeraniae amisisset, ad pacem sensim inclinabat, quae, illo interea extincto, pro Polonis Olivae, pro Danis Copenhagae confecta fuit, et Joannes Casimirus, studio potissimum Leopoldi, discrimini ereptus, et in solio Polonico confirmatus est. (a)

§. 8.

Joanni Kemény contra Michaelem Apafi Transilvaniae Principem opem ferens, bello Turcico implicuit, in quo praecipua Nicolai Zrényi virtus enituit. Montecuculus Zrényi aemulus Turcas ad S. Gothardum clade adfecit. Induciae postea, factae sunt in annos viginti.

Leopoldus postea bello Turcico implicitus est. Origo ejus ex Transilvania. Hic, mortuo Georgio I. Rákóczy, Principatum ejus filius Georgius II. obtinuit, cui, quod bellum Polonis movisset, Sultanus dignitatem abrogavit. Creatus est Princeps Franciscus Rhédei. Sed hic aemulum metuens, dignitate decessit, successorem nactus primo Rákótzium, paullo ante exauctoratum, deinde Turcarum voluntate, Achatium Bartsay. Verum Rákótzium, Principatus recuperandi avidus, Turcas aemulo suo faventes uno praelio superavit. Quo comperto, Sultanus Budensi Bassae in mandatis, dedit, ut collectis undique copiis, illum provincia tota

(a) Joach. Pastorii Flor. Polon. L. 7. Kazy L. 7. et 8. Pray Hist. T. 3. p. 554.

ejiceret. Rákótzius extremas vires periclitaturus, ad fauces Transilvaniae constitit. et licet copiis inferior, congregari ausus, acceptis quatuor in capite vulneribus, paucos post dies Varadini obiit A. 1660. Anno sequente Bartsay, turbarum metu, dignitate se abdicavit, quam Joannes Hemény consecutus, ut securitatem sibi pararet, decessorem una cum fratre interfecit. Tum Vezirius, velut laesam Sultani majestatem ulciscens, per Transilvaniam, et partem Hungariae horrenda crudelitate grassatus, Michaellem Apafi Principem renunciavit. Bellum igitur inter aemulos natum est, et varia fortuna aliquamdiu gestum, deinde Keményius, quod Montecuculus, quem Leopoldus oranti auxilio miserat, suorum paucitati non satis fidens, rem caute agere cogeretur, in fugam versus, et in ea equo prolapsus, fugientium pedibus temere conculcatus obiit A. 1662. Tum vero Leopoldus de Transilvania Hungariae conjungenda sollicitus, Apasiam de veteribus inter Hungariae Reges, et Principes Transilvaniae pactis, deque abjicienda Ottomanica clientela per Franciscum de Sz. György Episcopum Vaciensem admonuit. Verum Hatsukius Bassa, cognita legationis causa, Episcopum Temesvarinum adduci jussit, ubi arte servatus, non multo post moerore contabuit. Id etsi moleste Rex ferret; de prorogandis tamen cum Mohammede IV. induciis, per Oratores suos diligenter egit. Turcae quamquam bellum decreverant, quod a Caesareo milite Claudiopolim, aliaque praesidia teneri indignarentur; legatis tamen Caesaris prorogandarum induciarum spem fecerunt.

Interim Caramustapha Vezirius, Hungaris non satis ad bellum comparatis, cum ducentis fere milibus Byzantio digressus, Hungariae imminabat. Rex fama venientis hostis percussus, Germanis Montecuculum, Hungaris Nicolaum Zrényi praefecit. Montecuculo imbecillitatem virium suarum tegente, Zrényius, ubi opportunum erat, hostem carpere, ac non sine praeclara virtutis bellicae fama debilitare pergebat. Suorum detrimentis irritatus Vezirius, cum Montecuculum non posset perducere, ut sui in campo faceret potestatem, transmissis ad Strigonium Danubio, Érsekújvarinum, ab Adamo Forgáts diu fortissime defensum, prostratis assidua verberatione moenibus, deditioe accepit. A. 1663. Deinde aliis minoribus arcibus potitus, usque ad Moraviae, et Silesiae limites praedarum causa, excurrit, et fere 40 millia Christianorum in captivitatem redegit.

Annosequente nostri meliorem fortuna usi sunt, acceptis ab Alexandro VII. Pontifice pecuniis, et ex Imperio, Gallia, ipsaque Hungaria copiis majore numero collectis. Nicolaus Zrényi cum fratre suo Petro, victis praelio Turcis, complures in limitibus Hungariae, ac Illyrico arces recuperavit, pontemque Eszekiensem firmissimum, ut hostem transitu arceret, bidui spacio disjecit. Citra Danubium quoque felici Marte pugnatum est. Praecipuus laus tribuitur Schouchesio, qui recuperata Nitria, Budensem Praefectum justo praelio profli-gavit, arcemque Levensensem recepit, ad quam recuperandam haud multo post cum validioribus copiis redeuntem, caesis octo millibus, in quibus

flos spahiorum, iterum fregit, et castris, ac impedimentis exiit.

Tam laetos successus dissidia Ducum corrumpere. Evertendo Neozrenyjo, quod Nicolaus ad Muram, amnem, cohibendis Turcarum, praesertim in Stiriam irruptionibus, excitaverat, Vezirius exercitum admovit, Conditore praesidii, et Montecuculo pro salute loci non procul excubantibus. Cum saepius antea hostes frustra in illud impetum fecissent, et nunc insulam Murae occupare conantes, nostri cum insigni clade repulissent: orabat Zrényius Montecuculum: quoniam exercitus Christianus magna pugnandi cupiditate flagraret, faceret Vezirio campo decernendi copiam. At is gloriae herois apud externos, et gratiae apud Caesarem jam pridem invidus, non modo votis non annuit; verum etiam, ut se importunis precibus expediret, supposito clam igne, arcem cremari iussit, milite, qui pro praesidio erat, ad sua castra attracto. Zrényius vicissim, vindictae studio abreptus, annonam copiis Montecuculi, quum penuria laborarent, negavit. Qua re non levem illi praebuit apud Caesarem criminandi materiam. Inde Zrényius animo aeger, segnius postea rem gerebat, dum denique sagum exiit, ab apro intervenandum laniatus. Sed Montecuculus inustam sibi ignaviae notam paullo post eluit; reducto enim ad S. Gothardum exercitu, cum Vezirio congressus, 16. Turcarum millia delevit, castris, et 140 signis potitus.

Victus Vezirius inducias obtulit, quae in viginti annos, non consultis Ducibus Hungaris, coaevuerunt. Harum legibus Caesar aequae, ac Turcae

militem e Tansilvania educere jussi sunt, facta provincialibus, prisco more, Principem creandi potestate. Varadinum, Neogradum, et Ujvarinum Turcis permissa. Caesar Nagybányam, Tokainum et reliquas Tibisco vicinas, quae Rákótzio olim concessae fuerant, arces suo praesidio munivit, Székelyhidinum, ne pacis turbandae occasio esset, solo aequatum. (a)

§. 3.

Bellum Turcicum conjuratio Vesselényiana, et cum haec vindicata, non item oppressa fuisset, motus Tököliani, a Gallis nutriti exceperunt.

Bello Turcico expeditam Hungariam graviora mala exceperunt. Inducias cum Turcis, non vocatis in consilium Regni Ordinibus, et cum damno patriae factas esse multi indigne tulerunt. Leopoldus a Montecuculo malignis suspicionibus, de Hungarorum in Domum Austriacam voluntate, imbutus, dimissis cohortibus Hungaricis, arces plerasque, et civitates exteri militis fidei commendavit. Inde novae querelae natae sunt, Catholicis, ac Protestantibus communes. Isti praeterea, laetius florere Religionem Catholicam, se multa templa, scholas, et foundationes pias amisisse, doluerunt, Igitur male contenti, specie curandae valetudinis, primo in Trentsiniensibus thermis, postea occasione Judiciorum Neosolii convenerunt, et auctore Francisco Vesselényi Palatino, seces-

(a) Hazy L. 7. 8. 9. Joann. Bethlen L. 2. 3. 4.

sionis rationem descripserunt. Sed eum, mortuo A. 1667. Vesselényio, auxilia domi, forisque conquirunt, nominatim per Michaellem Apafi Transilvaniae Principem Turcarum opem implorant, a Panaioto Legationum Europaearum in aula Byzantina Interprete proditi, alii patria excedere jubentur, alii supplicio adficiuntur. In his Petrus Zrynyi, et Franciscus Christophorus Frangepan florentibus diu nobilissimis familiis finem fecerunt.

Rex punitis conjuratorum praecipuis, reliquorum molimina repressurus, triginta millia Germanorum Hungariae infundit, tributa sine discrimine omnibus imperat, Protestantium jura aetioribus terminis circumscribit, et ipsam formam regiminis mutare statuens, Georgio Szeleptsényio Archiepiscopo Strigoniensi Locumtenentis dignitatem ponere jussu: Joannem Gasparem Ambringenium, Gubernatoris nomine, Hungariae praeficit, addito Senatu, quem ex Hungaris, atque Germanis conscripsit.

Tam subita mutatio multorum animos vehementius perculit; cumque praeterea Caesareus miles, Duce Koppio, in superioris Hungariae incolas, ad quos vel levis suspicio conjurationis pertinebat, durum in modum saeviret, crevit factiosorum numerus, et malum ita auctum est, ut curari non posse videretur.

Leopoldus quidem, ut exacerbatos animos leniret, pristinam regiminis formam restituit, revocato Koppio, militi crudelitatem omnem prohibuit, et qua ratione quies patriae reddi posset,

serio cum suis deliberabat: sed sana, quae Regi ad clementiam propenso suggererentur, consilia, graviores motus interceperunt, auctore Emerico Tököly, qui detecta conjuratione Vesselényiana, in Transilvaniam profectus, cum aliquot annos in aula Apafi exegisset, vivida indole, promptoque ingenio dexteritatem suam ita probavit, ut auctis in Hungaria turbis, communi sententia seditiosorum Princeps declararetur.

Nec mora, a Ludovico XIV. Galliae Rege pecuniis, ab Apafi milite adjutus, A. 1678 cum exercitu viginti millium ex Transilvania erumpit, seditiosos plures sub signa contrahit, montanas Hungariae urbes levi negotio occupat. Contemta fuere initio Tökölji molimina: at cum Gallicis, Polonicis, Transilvanicisque copiis adjuto, Turcas quoque brevi adjuturos Caesar comperisset: pacis consilia ei semel, iterumque proposuit; sed frustra, nam primo successu elatus, iniquissima quaequae postulabat.

Itaque Rex malum alio remedio curaturus, A. 1681. Ordines Regni, frustra vocato Tököljo, Sopronium convenire jubet; abolito Locumtenentis, aut Gubernatoris Magistratu, Palatini dignitatem restituit; conscribit militem ex Hungaris, publico stipendio alendum; confirmat gentis universae privilegia; Protestantium postulatis, quantum licuit, satisfacit; decernit 13 oppidorum Scepusii a Polonis redemptionem; cunctis denique ad obsequium redituris veniam, et gratiam offert. Tum vero grave vulnus inflictum est Tököljo, promulgatis enim comitorum decretis, multi Regis clementia exci-

tati, in obsequium rediverunt, et Regio exercitui juncti, arma pro Tököli sumta in illum verterunt, brevi debellaturi hostem patriae; nisi Apafi a suis pene desertum aere, ac milite sustentasset. (a)

§. 4.

Tököli post comitia Soproniensa a multis desertus, Turcas in auxilium evocando, alterum bellum Turcicum excitavit, quo Buda cum maxima Hungariae parte recuperata est.

Solus Apafi non satis securum praesidium Tökölio videbatur; quod universam Hungariam brevi in se arma correpturam metuerunt. Quapropter Mohammedem IV. Turcarum Sultanum, ut sibi laboranti opem ferret, magnis precibus adduxit. Camustapha Vezirius 300 habens millia militum, A. 1655. Byzantio movit, et ditiones Turcicis, tum Hungariam Inferiorem emensus, Austriae suos infudit, atque Viennam obsedit. Sed omnes ferocis adversarii conatus strenue retudit Comes Ernestus Stahrenberg, donec Joannes Szobjeszky Poloniae Rex, Saxoniae, et Bavariae Electores, pluresque Imperii Principes, obsessae urbi opem laturi, apulissent, quorum adventu 68 millia armatorum completa sunt, et Carolus Lotharingicus die 12-a Septembris vi summa praelium commisit, in quo tanto plus virtute valuerant Christiani, ut quadruplicem hostium numerum, caesis fere 70 millibus,

(a) Kazy L. 9. 10. 11. 12. Corp. Jur. Patr. Decr. III. Leopoldi. I.

et occupatis, castris profligarent. Fugientes bar-
 baros insecutus est Carolus, quorum iterum octo
 millia paucis post diebus ad Párkány delevit, ac
 uno quasi impetu Strigonium, Pápam, Fülekinum,
 Neogradum, aliasque vicinas arces Caesari vindi-
 cavit. Anno sequente Vissegradum, et Vacium,
 altero Újvarinum recuperatum, et Hungaria Supe-
 rior, deserto Tököllo, ad Regis obsequium redi-
 vit. Annus demum 1686. felicissimus fuit, quo
 Buda post diuturnam servitutem, Vezirio semel,
 iterumque profligato, die 2-a Septembris, post cru-
 entum in ipsa urbe certamen, e Turcarum mani-
 bus vindicata est. Praecipua laus recuperatae Bu-
 dae penes Carolum Lotharingicum, et Maximilia-
 num Bavariae Ducem fuit, qui fortuna sua, et me-
 tu hostis usi, diviso citra, et ultra Danubium ex-
 exercitu, Turcas fugientes consecuti, Szegedinum,
 Quinqueecclesias, Siklosinum, Kaposvarinum vi,
 aut deditioe acceperunt.

Tot illustrium victoriarum jucundissimi fructus
 fuere. Carolus Lotharingicus, reddita Turcis die
 12-a Augusti A. 1687 in Campis Mohatsiensibus cla-
 de, in Transilvaniam profectus, provinciam ad fidem
 Caesaris adduxit. Recuperata, excepto Banatu Teme-
 siensi, et Varadino, omnis Hungaria; Servia, Bos-
 nia, Albania, et Valachia ad A. 1690. a Caesareo
 milite occupata. Orto inter Caesarem, et Ludovi-
 cum XIV. Galliae Regem bello, quod magna pars
 exercitus in Germaniam traducenda fuerit, Tur-
 cae quidem nostros ex Albania, Bosnia, atque Ser-
 via ejecerunt, et capto Belgrado, in spem vene-
 runt, iraperii sui de novo per Hungariam stabiliendi:



nostri tamen Ducibus Ludovico Badensi, Friderico Augusto Electore Saxoniae, et Eugenio Sabaudiae Principe, septem, et amplius annis ita bellum sustinuerunt, ut hostes pluribus cladibus fracti, amisso Magno Varadino, et ipso Sultano Mustapha, virtute Eugenii Sabaudi, ad Zentham, magno praelio superato, pacem orarent, quae A. 1699. Carlovicii in annos 25. data est. (a)

§. 5.

In medio victoriarum cursu, successio haereditaria Principum Austriacorum definita est.

Recuperatae Budae fructus etiam fuit, ita constitutum jus haereditariae successionis, ut semper natu maximus ex Augusta gente Austriaca virilis sexus Princeps in Hungaria regnaret, et si forte aliquis ex Leopoldi posteris virilem sexum non relinqueret; alter, qui tum in Hispania rerum potiebatur, virilis Habsburgicae stirpis ramus succederet. Quod in comitiis Posoniensibus A. 1687 a Leopoldo propositum, universi Hungariae, et Illyrici Ordines, memores insignium Augustae gentis in Hungariam meritorum; ratum habuere, duabus tantum adjectis conditionibus: Ut, si stirpis Austriacae virilis sexus exstingveretur, reciperent Hungari pristinam, Reges e quacumque domo eligendi, libertatem. Tum: ut jure hereditario de-

(a) Pray Hist. T. 5 p. 397.—437. Katona T. 34. d A. 1682.—T. 56. ad A. 1699. Continuator Timonis ad eosdem annos.

inceps successuri Principes, tempore inaugurationis suae, jusjurandum nuncuparent, se immunitates Regni sancte observaturos. Leopoldus utramque conditionem probavit; id tamen effecit, ut jusjurandi formula, interjectis aliquot vocibus, illustraretur, et ex Decreto Andreae II. Articuli 51. i clausula excluderetur; quod eo Articulo male intellecto, quidam bellis civilibus occasionem dederint. Tum vero Josephus I. sacra corona cinctus est. (a)

§. 5.

Quorundam de violatis gentis libertatibus querelae, latius propagatae, ansam dederunt bello Rákótziano, de quo pace terminando, frustra agitatum est Schemnicii.

Via alterum bellum Turcicum pace Carlovicensi sopitum erat, aliud in ipsis Regni visceribus erupit. Non vocatis in consilium Hungaris, factas esse cum Turcis inducias; introductam haereditariam successionem; abolitam ex Decreto Andreae II. Articuli 51. clausulam; ad sacras, profanasque dignitates evectos esse exteros; nondum eductum Regno militem Germanum; constans victigal impositum; templa multa Protestantibus rursus adempta; Collegia, et Gymnasia Patrum S. I. excitata esse in Protestantium civitatibus, et alia hujus generis contra jura esse acta, quidam palam conqesti, ita multos alios commoverunt;

(a) Decr. IV. Leopoldi I.

ut armis Leopoldum corripienda esse decernerent, Francisco Rákótzý, Tökölíi privigno, Duce creato.

Antequam incendium erumperet, Rákótzý a Longvevallio, quem incaute ad Ludovicum XIV. miserat, proditus, A. 1701. Neostadii carcerem subiit; sed Lehmanni Centurionis, quem multo auro corrumpit, perfidia libertatis in Poloniam evasit ad Bertsényium, et socios, qui, detecta conjuratione, fuga sibi consuluerant. Inde post biennium, inito cum Ludovico XIV. foedere, copiis auctus, in Hungariam prorupit, pluribusque in dies accedentibus, Senatum 24. virorum, citra cuius consensum nihil adgredi auderet, ex sociis accepit, ac bellum strenue orsus, utramque Tibisci regionem, Cassoviam, montanas urbes brevi tempore suae potestati subiecit.

Leopoldus bello Successionis Hispanicae occupatus, de pace illum semel, ac iterum interpellavit. Anno 1704. per inducias partis utriusque Oratores, et arbitri convenere; nihil tamen effectum, Rákótzianis cetera inter postulantibus: Ut abolitis A. 1687. comitiis, Hungari pristinam eligendi Regis jus obtinerent; Transilvaniam Leopoldus Rákótzio traderet; Palatini dignitatem Paulo Eszterházy abrogaret, eamque Nicolao Bertsényi conferret; Patres S. I. relegaret. Quae cum Leopoldi Oratores concedi non posse dicerent: pacis tractatio interrupta, et bellum magnis utrinque animis recrudit, quod dum Heistero, et Joanne Pálfi Ducibus, varia fortuna geritur, Leopoldus,

Princeps Divinarum, et humanarum rerum cognitione, singulari vitae probitate, Religionis studio, justitia, moderatione praeditus, ob insignia in Hungariam merita, et res praeclare gestas Magni nomen consecutus, A. 1705. moritur. (a)

Uxores tres habuit: Margaretam Theresiam Philippi IV. Hispaniae Regis, Claudiam Felicitatem Ferdinandi Caroli Archiducis in Tyroli dominantis, Eleonoram Magdalenam Philippi Vilhelmi Palatini Neoburgici filiam. Ex prima sustulit Mariam Antoniam Maximiliano Electori Bavariae nuptui traditam; ex tertia Josephum I. et Carolum III. item Mariam Elisabetham Belgii Gubernatricem, Mariam Annam Joanni V. Lusitaniae Regi collocatam, et Mariam Magdalenam Tyrolis Gubernatricem.

§. 7.

Leopoldi Decreta, status Religionis, Litterarum, et viri celebriores.

Leopoldi quatuor Decreta in Codice Legum numerantur, quorum tertium Sopronii, reliqua, Posenii in comitiis edita, et promulgata fuerunt Praecipuae legum sanctiones ex iis fere, quae ad A. 1681. tum ad A. 1587. diximus, intelliguntur.

Regnante Leopoldo, status Religionis Catholicae tristis aliquamdiu fuit; sopitae enim sub Ferdinando III. Religionis causa, turbae, in eorum

(a) Pray Hist. T. 3. p. 438.—459. Katona T. 36. et Cont. Timonis ad A. 1700.—1705. Palma T. 3. p. 336.—354.

Emerico Tököly, rediverunt. Catholicorum templa, arae, Sacerdotes indignis prorsus modis habiti. Tanto sane conatu in exstirpanda Religione Catholica laborarunt Protestantes, ut plerisque in locis finem suum assecuti fuisse videantur. Anno 1678. usque 1681. in Comitatu Veszprimiensi duo tantum Sacerdotes Catholici, in Szaladiensi, et insula Muraköz quinque, in Simeghiensi, et Baranyiensi nullus superstes fuit; in Szathmariensi tres solum arces Catholicos habuere Curiones. (a) Verum imminuta A. 1681. per Soproniensium comitiorum decreta Tökölíi factione, Religio Catholica laetiora in dies capiebat incrementa, aucto praesertim Gymnasiorum numero, erecta, et Sacerdotibus S. I. tradita Academia Budensi, conditis pro Clero Juniore Seminariis, constitutis pluribus Parochiis, Deoque dicatis viris, communi deinceps opera in propaganda Religione Catholica laboraturis. Hinc artes quoque, ac scientiae laetius florere coeperunt; faventibus enim Moecenatibus, multi in omni scientiarum genere eruditi viri prodiverunt. Neque tenuioris fortunae juvenibus animi excolendi facultas defuit. Anno 1666. inductum est in Hungariam Scholarum Piarum Institutum, in erudienda juventute patria utilem operam collocaturum. (b)

Floruere sub Leopoldo: Paullus et Georgius Szátsényi, Leopoldus Kollonich Archiepiscopus

(a) Hazy L. 12. p. 255.—255. Belnay Fragm. ad Hist. Eccl. Fasc. 2. p. 57. et 58. (b) Vallaszy, et Belnay Status Litter. Saec. 17.

Strigoniensis, magni Religionis defensores, et fautores bonarum artium. Nicolaus Zrényi Junior, insignis Bellidux, domitor Turcarum. Paullus Eszterházy S. R. Imperii Princeps, et Palatinus Hungariae, magna in Deum religione conspicuus. Adamus Battyáni Croatiae Banus, etc.

Leopoldus I. Imp. XLV. ab A. 1658.
—1705.—47.

§. 1.

Frustra renitente Ludovico XIV. Imperator electus, propter provincias Belgicas, bello cum Gallis implicitus est, quo hi partem Belgii Hispanici Comitatum Burgundiae, Brisacum, et Friburgum sibi assuerunt.

Post mortem Ferdinandi III. in Imperio Romano Germanico uno anno Interregnum fuit; quod Ludovicus XIV. Rex Galliae, aemulatione honoris, ac potentiae, coronam Imperii a Domo Austriae abstrahere volens, pro Electore Bavariae; Carolus vero Gustavus Sveciae Rex eadem de causa pro Palatino Neoburgico, ut ad Imperium evehentur, laborantes, Electorum suffragia divisissent. Tandem imminente Germaniae a Turcis periculo, Principes in eligendo. Leopoldo consenserunt. Ille primos decem annos, quos in Germania tranquillos habuit, ad infringendam Turcarum potentiam convertit; deinde eum Ludovico XIV. Galliae Rege armis contendit. Hic Philippi IV. Hispaniae Regis filiam Mariam Theresiam matrimonio sibi junxerat: ea-

que universis paternis provinciis fide publica renuntiavit: Ludovicus tamen, post mortem soceri provincias Belgii Hispanici, jure Devolutionis inter privatos usitato, ad se pertinere credidit, easque imperatas adgressus, A. 1667. Flandriam, et Burgundiam occupavit, ac post semestre bellum pace Aquisgranensi, restituta Burgundia, Flandriae, urbes retinuit; quibus non contentus, A. 1670. Lotharingiam repente subegit. Leopoldus cum Turcis inducias pactus, inito cum Electore Brandenburgico et Batavis foedere, A. 1672. Montecuculum adversus Turennum, et Condeum Ludovici Duces ire jussit. Angli, Hispani, ac Dani sensim ad foedus Caesaris accessere. Ludovico Sveci, et nonnulli Germaniae Principes artibus devincti favebant. Rebus varia fortuna gestis primum Batavi, deinde Hispani pacem cum Gallis sanxerunt. Denique et Caesar a sociis destitutus, pacem Navio-magensem A. 1679. ratam habuit, ejus constitutione Galli partem Belgii Hispanici, Comitatum Burgundiae, Brisacum, et Friburgum obtinuerunt,

§. 2.

Iidem bello secundo decem urbes Imperiales in Alsatia, et Argentoratum Regno suo in perpetuum adjecerunt: Brisacum Friburgum et Ducatum Barriensem restituerunt.

Neque id satis erat Ludovico, augendae suae, et deprimendae Austriacorum potentiae avido. Totum id, quod ad Alsatiam, tres Episcopatus in Lotharingia, pace Vestphalica Galliae attributos, et Burgundiam pertinebat, sibi vindicaturus, Ca-

meram Reunionis instituit, cujus sententia vasallos trium Episcopatum Lotharingiae, decem urbes Imperiales Alsaciae, postremo Argentoratum terrore armorum sibi subiecit. Hanc audaciam Leopoldus reprimere non potuit, partim factione Brandeburgica, partim bello Turcico impeditus; pernicies enim Viennae ipsi imminere videbatur. Itaque inducias in annos viginti pactus, possessiones injuste occupatas Ludovico permisit. A. 1684.

At iste anno sequente novam belli ansam nactus est. Mortuus est sine liberis Carolus Elector Palatinus, cujus soror Philippo Duci Aurelianensi Ludovici fratri nupta erat; quae etsi solennibus pactis haereditati renunciasset: Ludovicus tamen magnam Palatinatus partem ad illam jure pertinere credens, subito impetu occupavit. Hispani, Angli, Batavi, Sabaudi foedus contra ipsum cum Leopoldo sanxerunt. Principes quoque Germaniae, Gallo Palatinatum Inferiorem foedepulante, tres exercitus conscripserunt. Segne bellum, intentis in privata commoda foederatis, ad Rhenum, et Moellam pluribus annis gestum, A. 1697. pace Rysvicensi sopitum est. Ludovicus decem urbes Alsaciae, et Argentoratum Regno suo in perpetuam adjecit: Brisacum, Friburgum, et Ducatum Barriensem restituit.

§. 3.

Secutum est bellum Successionis Hispanicae, quum Leopoldus filio suo Carolo, Ludovicus XIV. nepoti suo Philippo Duci Andegavensi Regnum Hispaniae vindicare conaretur.

Elapso ab hac pace triennio, mors Caroli II. Hispaniae Regis, qui nullam prolem reliquit, gravissimo bello Successionis Hispanicae occasionem praebuit. Nam cum Ludovicus XIV. Domus Austriacae potentiam, ad quam jus totius haereditati Hispanicae pertinebat, tanta provinciarum accessione augeri nollet: testamentum quoddam produxit, quo defunctus Carolus Philippum Andegavensem Ducem, neptem suum, haerodem ex aere scripsisset. Id cum Austriaci sincerum non esse contenderent, neque jus fuisse Carolo, cognatos Principes haereditate excludendi: Ludovicus nihil in contentione verborum reponendum ratus, armis rem agere decrevit. Nec mora, Belgium, Italiam, et Hispaniam omnem suis exercitibus instruxit, duosque Electores, Coloniensem, et Bavarum in suum foedus pellexit. Leopoldo Angli, Batavi, et plerique Germaniae Principes adhaeserunt, a quo Carolus natus minor filius Rex Hispaniae declaratus, eoque cum exercitu missus, Barcellonae domicilium constituit. Bellum late sparsum, primo dubia, mox sinistra Leopoldi fortuna gerebatur, cujus vires turbae Rakótzianae, a Gallis nutritae, divisas tenebant. Sed postquam Angli cum Caesareis copiis in Bavaria se junxissent, Galli ad Hochstadt magna victoria superati, et e Germania ejecti sunt, occupata ab Austriacis Bavaria, Elector Coloniensis ditione omni exutus est. In hoc victoriarum cursu Leopoldus obiit. Symbolum habuit: Consilio, et industria. (a)

(a) Francisci Wagner S. I. Hist. Leopoldi Tomi 2.

Josephus I. Rex XLIII. ab A. 1705.—
1711.—6.

§. 2.

Difficilia regiminis initia nactus, Rákótzianos, promissa venia, et gratia, ad concordiam, et obsequium adducere volens, parum profecit.

Josephus I. Leopoldi M. filius, dura admodum habuit regiminis initia; nam bellum Successionis Hispanicae, magno fervore gestum, universas ejus vires exercuit; si firmiores quasdam ad Danubium urbes, arcisque excipias, totum pene Regnum, vectigalia omnia, aurum et argentum ex fodinis proveniens, in Rákótzii fuit potestate; aderant illi plures, ex Gallia nisi, rei militaris periti Duces, quorum opera in bello permagni fuit; exercitum Rákótziius 50. millium armatorum habuit, quibus Josephus, vires dividere coactus, vix millia 20 opponere potuit.

Itaque vulgatis per Regnum litteris, ad fidem Principi debitam, atque ad concordiam sincere, et graviter hortatus est factiosos, impunes fore, qui resipuerint, pollicitus. Deinde per Paullum Eszterházy Palatinum, Anglos, Hollandos, denique per Paullum Szétsényi Archiepiscopum Collocensem semel, ac iterum egit, ut composito bello civili, pacem Hungariae restitueret. Nihil tamen effecit. Rákótzii anno superiore paucorum factione Albae Juliae Princeps Transilvaniae electus, et mox ab aliis in conventu Cibiniensi exau-

etoratus, habito Szétsényii cum suis consilio, novo jurejurando sibi omnes, et se omnibus sectatoribus obstrinxit; leges, quae in jure dicundo curando aerario publico, exigendis vectigalibus, belli, pacis, et hibernorum tempore observandae essent, condidit, et mutato Malecontentorum nomine, Confoederatos Status, et Ordines Hungariae, sibi adhaerentes appellavit. Unde factum est, ut, cum partis utriusque Oratores sub finem A. 1705. Anglis, et Hollandis arbitris, Tyrnaviam de pace acturi convenissent: Rákótziani plura, et majora, quam sub Leopoldo, postularent; et cum Josephus, soluto conventu Tyrnaviensi, spem pacis adhuc habens: promulgata iterum lege oblivionis, promisisset, neminem Rákótzianorum, qui arma posuerint, anteaetarum rerum multatum iri, pauci tantum, malorum taedio, et fortunarum jactura capti, ejus se clementiae permetterent. (a)

§. 1.

Eosdem a conventu Onodinensi inter se discordes, occupata Transilvania, ad Trentsinium, et Romhány cruenta pugna fregit, ac montanis, aliisque urbibus privavit.

Plerisque vero in proposito persistentibus, bellum A. 1706. recrudit, quod dum varia fortuna geritur; Rákótzzy multorum Hungarorum, qui Regi studebant, Angli item, et Hollandi Oratorum litteris monitus, pacem optare coepit: sed

(a) Pray Hist. T. 5. p. 460. — 480. Wagner in Hist. Josephi Imp.

auctoritate sua nihil decernere ausus, postquam Marosvásárhelyini Princeps Transilvaniae iterum renunciatus fuisset: A. 1707. Onodinum suis conventum indixit, in quo rejectis, quae suggererant quidam, sanioribus consiliis statutum: Poseniensia A. 1687 comitia irrita haberi oportere; nihil in solium Hungariae cuiquam juris esse; hanc in formam Reipublicae liberae redigendam; religiones singulas pari jure fruituras; Paullum denique Eszterházy Palatinum, Joannem Pálfi Illyrici Banum, et alios Regis amicos perpetuo exilio multandos esse etc. Quibus cum Melchior Pakovszky, et Christophorus Okolitsányi suo, et provinciae Thurocziensis nomine scripto intercederent, pacemque avaderent, multis vulneribus concisi, prior continuo exspiravit, alter post triduum carnificis manu periit: Comitatus vero Thurocziensis vexillo, sigilloque privatus, et rebellis daclaratus est. (a)

Inter haec Rabutinus Dux Caesareus difficili itinere in Transilvaniam eluctatus, reducta in fidem provincia, Rákótzii Principatui finem fecit, et Caesar proscriptis conventus Onodiensis decretis, demonstratoque suo in Hungariam jure, quod ab horrore jam multos Rákótzii societate intelligeret: sibi addictos Nobiles Posenium jussit convenire, factiosis etiam, sed frustra, vocatis. Rákótzjus cum Bertsényio conventum perturbare volens, ab Heistero pressus, cladem prope Trentsi-

(a) Pray l. c. p. 480.—485. Wagner, et Cont. Timonis ad A. 1706. 1707.

nium ingentem accepit, et Cisdanubiana Hungaria, nominatim montanis urbibus ejectus, nervum rei gerendae, multosque sociorum, qui ad fidem Hegis rediere, amisit. Multa deinde nequiequam molitus, ut Anglos, Hollandos, Fredericum I. Borussiae Regem, ipsosque Svecos, et Russos in suam voluntatem perducerent A. 1710. ad Romhány in Comitatu Neogradiensi altera cruenta pugna ab Heistero fractus est. (a)

§. 5.

Quare multis periculosam societatem deserentibus, postquam Rákótzý cum aliquot amicis in Poloniam abivisset, ceteri, auctore Alexandro Károlyi, instituta Szathmarini tractatione, ad officium redierunt.

Cum praecipuas urbes citra, et ultra Danubium, quas Confoederati tenuerant, Caesarei sensim occuparent, et multi periculosam societatem desererent: ipse quoque Vajae in provincia Szaboltsiensi cum Pálfi collocatus, et, quo in commune bonum studio, quae esset Josephus clementia, certior factus, postquam a colloquio ad suos rediit, omnes ad concordiam cohortatus, ut exemplo esset ceteris, jure in Principatum Transilvaniae se abdicavit. Sed factiosi plerique aliam mentem fuerunt. Quare cum Bertsényio, et aliis amicis in Poloniam discessit, cujus abitum plerique fugam interpretati, auctore Alexandro Károlyi, indicto Szathmarinum conventu, de pace tractare

(a) Pray l. c. p. 485.—496.

coeperunt; cumque eae conditiones proponerentur, quibus non modo venia, et gratia omnibus, ipsi adeo Rákótió, ac Bertsényio concedebatur, opes, et honores pristini mittebantur; verum etiam famae ipsorum consulebatur: ratas omnes habuerunt, ac die 1-a Maji, juxta praescriptam formulam, Josepho, et ejus legitimo successori fidem suam obstrinxerunt. Jam tum Josephus ex variolis obierat, Princeps insigni clementia, humanitate, ingenii, judiciiue vi, singulari animi candore, et eximio in commune bonum studio praeditus. (a)

§. 4.

Rákótzii fata. Status Religionis, et Litterarum sub Josepho.

Rákótzý pessimis consultoribus usus, et in pristinae fortunae spem erectus, oblata sibi gratia uti noluit: cum Bertsényio, et aliquot sociis, illustri genere oriundis, Dantiscum, inde in Angliam, tum in Galliam se recepit: ex hac A. 1717 Madritum vocatus, ut foedus Turcas inter, ac Hispanos faceret, Constantinopolim missus, postea cum sociis in Turcia mansit, ibique A. 1735 obiit, per omnem vitam Religioni Catholicae addictus.

Josephus per tempus brevis, et impediti regiminis, nullum Decretum edidit. Religio Catholica, etsi bello civili tota Hungaria arderet, nihil gravius passa est. Pace Szathmariensi ea tantum libertas, quae hactenus per leges concessa erat,

(a) Pray T. 3. p. 496.—506.

Protestantibus confirmata est. Musis intra paucos hos annos nec incrementa nec ornamenta accessisse reperimus.

Uxor Josephi fuit Vilhelmina Amalia, Joannis Friderici Hannoverani Ducis filia, ex qua duas filias suscepit: Josepham Friderico Augusto Electori Saxoniae, et Regi Poloniae nuptui traditam, et Mariam Amaliam Carolo Bavariae Electori, et hujus nominis Imperatori VII. collocatam.

Praeter alios viros, qui sub Josepho aequae Carolo III. Hungariam illustrarunt, Joannes Pálfi, et Alexander Károlyi, praecipui pacis Szathmariensis auctores, memoriam merentur.

Josephus I. Imp. XLVI. ab A. 1705. —
1711. = 6.

*Bellum Successionis Hispanicae feliciter
continuavit.*

Josephus I. breve, sed gloriosum Imperium nactus, sex annos, quibus summae rerum praefui, magnis victoriis, atque triumphis signavit. Continuato enim in Italia, Flandria, et Hispania bello Successionis Hispanicae, ita potentiam Gallorum percussit, ut semel, ac iterum pacem peterent; sed quod durae conditiones a victoribus proponerentur, et victi melioris fortunae spem haberent, ea confecta non possent. Interim Josephus domi vim victoriarum secutus, Josephum Clementem Electorem Coloniensem, et Maximilianum Emanuelem Bavarum, quod cum hostibus Imperii haberent societatem, proseripsit; Ernestum Au-

gustum vero Hannoveranum Ducem, quem Leopoldus I. Electoris dignitate ornaverat, ab hujus aditu per nonnullos Principes impeditum, solenni ritu in Collegium Electorum introduxit. Symbolum habuit: Timore, et amore. (a)

Carolus III. Rex XLIV. ab A. 1711.—
1740.—29.

§. 1.

Ante inaugurationem rata habuit capita quinque, sibi ab ordinibus proposita, deinde biennio post 130. Articulos legum, Decreto I. confirmavit.

Carolus III. natu minor Leopoldi filius, audita fratris morte, ex Hispania, cujus Rex a patre declaratus erat, rediit, haereditariis ditionibus et Imperio potiturus. Ut convulsam per tumultus Rákótzianos Hungariam pristino vigori restitueret, A. 1712. comitia Posonium indixit, in quibus priusquam coronatio perageretur, Ordines Regni quinque capita proposuerunt, ad quae observanda Rex fidem suam obstringeret: Jure electionis, et Articulo 31. Bullae aureae sublato, ceterae gentis immunitates salvae manerent. Corona Custodibus Hungariae tradita, in Regno semper conservaretur. Ditiones ad Hungariam olim pertinentes, et a Turcis recuperatae in unum cum Regno corpus redigerentur. Si Carolus absque mascula prole dece-

(a) Wagner Hist. Josephi I. Joann. Zehackvitz vita, et gesta Josephi Imperatoris,

deret, pristina genti libertas Reges eligendi rediret. Denique Reges omnes haereditario jure deinceps successuri, in aditu Regni sacra corona inaugurarentur, ac prius de observandis quinque his capitibus Ordines Regni securos redderent. Quae postquam rata habuit Carolus, die 22-a Maji inauguratus est.

Nec plura tum constitui potuerunt, lue pestifera subito exorta, et aliquamdiu saeviente. Bienio vero post Status, et Ordines Posonium, Regis jussu redierunt, et Nicolao Pálfi Palatini dignitate ornato, 156. legum sanctiones condiderunt. Praecipuae sunt: Criminis laesae Majestatis, et perduellionis reos Nobiles, secundum D. Stephani Regis instituta, licitum sit Regibus prius comprehendere, quam ex more adhuc usitato, in judicium vocentur, eosque Rex ipse, aut delecti ex Hungaris judicent. Instituta est Posonii, Cassoviae, et Zagrabiae Commissio Neoaquistica dicta, ejus esset in possessionum jura inquirere, et bona legitimis dominis restituere. Stabilita est Cancellariae jurisdictio, et Camera Posoniensis a potestate Viennensis exempta. Palatini officia bello, et pace descripta. Severis legibus constricta militis statarii licentia, eique sustentando tributum praefixum, quod semper in comitiis describeretur. Jazygibus, Cumanis, Budae, Pesthino, Strigonio, Szegedino, Albae pristina jura restituta. Confirmata pace Szathmariensi, Rákótzky, Bertsényi, et horum asseclae, qui oblata Regis gratia uti noluerunt, hostes patriae declarati, et bona eorum Fisco addicta.

Etiam de Republica sacra actum est. Rex ipse promisit, se collapsas per Turcicam servitutem aedes sacras instauraturum, daturumque operam, ut bona cultui Divino destinata, veteribus possessoribus quam primum restituantur. Protestantibus priora jura confirmata sunt; conventuum tamen, et Synodorum celebratio severe iisdem interdicta. (a)

§. 2.

Per Sanctionem Pragmaticam jus haereditariae successionis, ad faeminas quoque extensum, magis stabilivit, tum alias utiles constitutiones fecit.

Ne Austriae, et Hungariae ditiones a morte sua inter varios Europae Principes discernerentur, cavere volens, A. 1713. decreverat: 1. Ne haereditariae provinciae umquam inter plures dividerentur. 2. Ut semper, natu maximus in iisdem succederet. 3. Si non essent masculi faeminae ipsae, habita semper aetatis ratione, iis potirentur, et quidem primo suae, tum Josephi, tandem Leopoldi M. filiae, earumque posteris. Constitutio haec vocatur Sanctio Pragmatica, quam posteaquam aliae haereditariae provinciae ratam habuissent: Hungari quoque, quum A. 1722. Posonium convenissent, eandem sponte, et benevole receperunt, ea tantum conditione addita: Ut haereditario jure successuri Principes Religionem Catholicam profiteantur, et ea prorsus ratione, qua Carolus, in aditu Regni, ad conservandas gentis im-

(a) In Corp. Jur. Patr. T. 2, Decr. I. Caroli III.

munitates, et observandas patriae leges peculiari diplomate, ac jurejurando semet obstringant; extinctis vero Caroli, Josephi, et Leopoldi filiarum posteris, Hungari pristinam Reges eligendi libertatem habent.

Ita stabilito haereditariae successionis jure, plura in commodum Regni sancita sunt, et quidem: Ut universi Regni Nobiles, a solvendis tributis liberi, cum res postulaverit, prisco more militiam faciant. Praescripta in comitiis deliberandi, et sententias modeste proponendi ratio Comitatum Magistratibus impositum, caverent, ne domini suos subditos insolitis oneribus premant. Decreta Archivi Regni instituti. Pro iis, qui bona familiae pessumdarent, introductum est Sequestrum. Pro accuratiore justitiae administratione erecta sunt quatuor Dicasteria: Tyrnaviae, Ginsii, Eperjessini, et Magno Varadini, quod postea Debrecinum translatum est. Ad haec instaurata est, quae olim viguit, Tabula Regia Judiciaria. Suprema judicandi potestas Tabulae Septemvirali attributa. Sedes utriusque tribunalis Pesthini collocata. Posonii autem Consilium, quod Regis locum tenet, constitutum, ejusque auctoritas certis legibus descripta. (a)

§. 3.

Primo bello Turcico, ob foedus cum Venetis, virtute Eugenii Sabaudi, feliciter confecto, Banatum Temesiensem, Va-

(a) Ejusd. Decret. II.

Iachiam Cisalutanam Belgradum cum magna Serviae parte, Bosniam Savo proximam accepit.

Jam qua fortuna, et quibus cum hostibus signa contulerit Carolus, videamus. Cum Reipublicae Venetae foedere conjunctus esset, hancque Turcae in exitu A. 1715. Morea, et vicinis aliquot insulis spoliassent, jamque in Dalmatiam arma sua inferre pararent; ut et fidem foederis exsolveret, et suas provincias securas a Turcis redderet; postquam Achmetem Sultanum frustra monuisset, ut a proposito desisteret: revocatis ex Italia, et Belgio veteranis legionibus, factoque necessario apparatu, et classe Danubiana ad morem maritimae instructa, Eugenium Principem contra Turcas ire jussit. Futurae belli fortunae praelusit Joannes Pálfi, qui ad explorandas hostium molitiones dimissus, de 40. eorum millibus insignem ad Carlovicium, etsi numero longe inferior, victoriam retulit Altera ad Petrovaradinum die 5 a Augusti A. 1716. de supremo Vezirio Aly Bassa ab Eugenio reportata, nobilior, et utilior fuit. Jam Vezirius occupatis proximis collibus, et urbe circumdata, deditionem superbe imperabat, cum a nostris repente obrutus, post eruentum praelium, 50. suorum millibus desideratis, praeterea castris, 170. majoribus machinis, et totidem signis militariibus amissis, in fugam coniectus est. Idem Eugenius haud multo post Temesvarinum, Pantsovam, et Újpalánkam, sequente anno post difficilem, et periculi plenam obsidionem, et aere quatuor horarum certamen, profligatumque iterum Ve-

zirium, Belgradum, tum Semendriam, Orsovam, et Szabatsum in Caesaris potestatem redegit. Turcae tot cladibus fracti, pacem orarunt, quae Passarovicii in 25. annos, Anglis, et Hollandis arbitraris, A. 1718. ita data est: Banatus Temesiensis, Valachia Cisalutana Belgradum cum magna Serviae parte Bosnia Savo proxima victori cederet; captivi omnes remitterentur; Venetis satisfaceret; libera utrinque facultas esse fluviis, terra, et mari merces vehendi, exceptis armis, et quae ad bellicum apparatus pertinerent. (a)

§. 4.

Successerunt duo bella Italica, quorum alterum foedus Londinense, alterum pax Viennensis abruptit.

Confecta cum Ottomannis pace, bellum, quod primum Italicum vocatur, cum Hispanis natum est; hi enim Sardiniam, atque Siciliam invaserunt, provincias pace Badensi, qua A. 1714 bellum Successionis Hispanicae terminatum erat, a Monarchia Hispanica avulsas. Carolus igitur cum Anglis, Gallis, Batavis, ac postea Sabaudis foedus inivit, quod Londinense, vel Quadruplum appellatur, his legibus: 1. Ne umquam Regna Hispaniae, Galliaeque coalescerent. 2. Hispani restituant Sardiniam, quam Caesar det Sabaudiae Duci, hic Siciliam tradat Caesari. 3. Philippum V. Caesar legitimum Hispaniae Regem agnoscat, et ille Caesarem legitimum Italiae dominum. 4. Ducatum Parmae, Placentiae,

(a) Cont. Timonis, et Katona T. 58. ad A. 1716.—
1718. Pray T. 5. p. 516.—522.

et Hetruriae, tamquam feuda Imperii, conferat Caesar Carolo Philippi V. filio natu majori. Inito etiam eo foedere, Hispania bellum continuarunt; sed ab Anglis praelio maritimo, a Caesare terra in Sicilia victi, Quadrupli foederis conditiones ratas habuerunt A. 1720. (a)

Alteri bello Italico Augusti II. Poloniae Regis obitus A. 1755. occasionem praebuit. Nam cum factione Gallorum Stanislaus Lezcinszky Ludovici XV. socer Rex Poloniae electus fuisset; Carolus contra cum Russis effecisset, ut alteris comitiis Augustus III. nuper defuncti filius ad solium eveheretur, et Stanislaus victus fugere in Galliam deberet: offensi Galli, Carolo bellum induxerunt, junctisque sibi Hispanis, et Sardinae Rege, Mediolanum, Neapolim; et Siciliam occuparunt. Misit quidem Carolus celerrime in Italiam copias; sed eae ad Parmam, et Guastallam cladem acceperunt: cum igitur, nuper multis praestantissimis dimissis, subito instaurari non possent: coactus est Carolus pacem Viennensem amplecti A. 1736. his legibus: 1. Augustus maneat Rex Poloniae; Stanislaus ad dies vitae Lotharingiam possideat, quae post ejus mortem redeat in perpetuum ad Gallos: hi ratam habeant Sanctionem Pragmaticam. 2. Mediolanum Parmam, Placentiam recipiat Caesar, excepta regione Tortonensi, et Novariensi, quae cedat Regi Sardiniae. 5. Dux Lotharingiae loco patrimonii sui Gallis concessi, obtineat Magnum Ducatum

(a) Guthrie, et Gray T. 12. p. 393. — 597. Pray T. 3. p. 523.

Eturriae, ut primum ultimus Dux familiae Mediceae obierit, quod anno sequente accidit. (a)

§. 5.

Altero bello Turcico, ex foedere cum Russis suscepto, et malo successu gesto, quae priore bello acquisita erant, excepto Banatu Temesiensi in Valachia, Servia, et Bosnia amissa sunt.

Cum Viennae Principum studia in concilianda pace maxime ferverent, semina jacta sunt alterius belli Turcici. Quod Tartari Crimeam colentes, Turcisque subjecti, in provinciis Russicis crebro praedas agerent, neque Turcae prohiberent: Russi armis ulturi injurias, promissa ex pacto auxilia a Carolo petierunt, qui tentata nequiequam inter hostes pace, sub Francisco Lotharigo, Seckendorffium, Vallisium, et Neupergium adversum Turcas dimisit. Russico exercitui Munichius praefuit. Hic Oczakoviam, Seckendorffius Nissam initio belli occupaverunt; sed ob hanc rursus amissam, et rem ad Vidinum, ac Banyalukam, non satis prospere gestam, Seckendorffius, ut se purgaret, Viennam ire debuit. Neque Neupergius, et Vallisius rem felicius gessere, imo Vezirius, recuperatis pluribus arcibus, victoque ad Krotzkam Vallisio, Belgradum obsedit. A. 1739. Itaque pax secuta est Belradiensis, qua Turcae, si Banatum Temesien-

(a) Pray T. 3. p. 533. — 537. Katona T. 58. ad A. 1734. et 1735. Reiner Handbuch der neuern Geschichte edit. A. 1808. T. 1. p. 540. — 544.

sem excipias, quae priore bello amiserant, in Servia, Valachia, et Bosnia receperunt. (a)

Carolus paci Belgradieasi non diu superstes, postquam Mariam Theresiam Joannis Pálfi industriae, ac fidei commendasset, A. 1740. obiit. Princeps ob insignem elementiam, justitiam, et liberalitatem ab exteris etiam collaudatus, felicitati Hungariae, quam sub Maria Theresia attigit, fundamenta jecit.

Ex uxore ElisabethaChristina, Rudolphi Brunsvicensis Ducis filia, suscepit Mariam Theresiam omnium provinciarum haerem, Francisco Lotharingico, Magno Duci Hetruriae nuptam, et Annam Belgii Gubernatricem, Carolo Lotharingiae Duci collocatam.

§. 6.

Decreta Caroli. Status Religionis, et Litterarum. Viri praecipui.

Carolus III. Corpus Juris Patrii tribus Decretis auxit, quae omnia in comitiis Posonii edita, utilissimas de re sacra, civili, militari, et litteraria sanctiones continent.

Ejectis toto Regno Turcis, Religio Catholica magna incrementa accepit aucto virorum Ecclesiasticorum, et Religiosorum numero, ac restitutis bonis, quibus a Turcis, haereticisve olim privati fuerunt. Horum opera plura hominum millia

(a) Pray. T. 3. p. 557.—545. Hatona T. 58. ad A. 1736.—1739.

a Lutheri, et Calvinii erroribus reducta, ad veram Christi Ecclesiam redierunt.

Pace publica Regno restituta, non solum superioribus temporibus institutae Academiae, et Gymnasia laetius florere coeperunt; verum etiam novae scholae per Patres S. J. et Scholarum Piarum pro maximo juventutis emolumento apertae sunt. A. 1725. Art. 70. constitutum est: Ut praeter Philosophica, Juridica, ac Theologica studia, etiam alia, quae in exteris Universitatibus publice doceri solent, juventuti patriae traderentur.

Praeter eos viros, quos sub Josepho floruisse diximus, Eugenius Sabaudus, etsi alienigena, perenni memoria Hungaris celebrandus est, quod Turcas multis cladibus adfectos, Hungaria tota eiecerit. Stephanus Koháry a liberalitate, qua bonas artes fovit, magnam laudem consecutus.

Carolus VI. Imp. XLVII. ab A. 1711.—
1740. = 29.

§. 1.

Bellum Successionis Hispanicae pace Bardenensi terminavit.

Carolus a morte fratris, frustra renitentibus Electore Coloniensi, Bavaro, et Gallis, Imperator electus, Francofurti, diadema accepit. Non modo hostibus, verum etiam illis, qui rebus ipsius antea studuerant, nimium potens futurus videbatur, si Monarchia Austriaca, et Hispanica junctis poteretur. Itaque primo rem segniter gerere, ac non nisi lentis consiliis bellum trahere, mox etiam Du-

eibus suis pugnam inhibere, denique a Carolo deficere, et pro se quisque cum Gallo pacisci. Anna Angliae Regina congressum pro pace sociis Ultrajectum indixit, cujus legibus a Gallis fretum Hudson, insulam S. Christophori, et Novam Scotiam, ab Hispanis arcem Gibraltar, et Minorcam obtinuit. Caesar continuato bello cum a sociis desertus, Landaviam, Friburgum, et Catalauniam sub Josepho occupatam perdidisset; et ipse tandem animum ad pacem applicuit, quae Badenae Helvetiorum A. 1714. conclusa est his legibus: 1. Elector Coloniensis, et Bavarus, Gallicas partes hoc bello secuti, ditionibus suis restituerentur, 2. Belgium Hispanicum Austriaco juri cederet, excepta parte Geldriae, quam Elector Palatinus obtineret. 3. Regnum Neapolitanum, Sardinia, et Ducatus Mediolanensis in Austriacorum potestate manerent. 4. Gallus Landaviam, Illuningam, et castrum Ludovicum retineret, cetera, quae occupavit, restitueret.

Hac pace ab Imperio confirmata, Carolus Tractatum de finibus Belgii praesidio firmandis cum Batavorum Ordinibus condidit, Domui Austriacae gravem; haec enim in alendos Batavorum milites, suis praesidiis impositos, quovis anno unum millionem Thalerorum expendit, et fluminum navigationi idoneorum mercatusque arbitrium sensim amisit.

§. 2.

Ex Societate Orientali, et Occidentali non eum, quem sperabat, fructum retulit.

Pace Passarovicensi Carolus peculiarem Tractatum Commercii cum Turcis fecerat. Igitur A. 1719. Viennae Societatem Orientalem erexit; portum Tergestinum, ac Fluminensem liberum declaravit, hisque juvandis addidit Ollam fortunae, sive ut vocant, Lotteriam, ex qua proveniens lucrum spatio annorum 50. impensos 80 milliones florenorum aequaret. Primi successus horum conatum moverunt Carolum, ut A. 1722. institueret Societatem Occidentalem Ostendae, ejus firmandae causa, foedus cum Hispanis, Russisque inivit. Haec foedera Caroli, et commerciorum studium, aegre ferebant populi mercatui dediti, praesertim Angli, et Hollandi, tum vero Galli, in quamvis occasionem intenti, ut bellum Austriae facerent. Itaque jungunt se solennibus pactis adversus Caesarem, adscitis etiam in societatem Borussis, Danis, et Svecis, bellumque omnes comparant. Carolus tot hostibus impar, Societatem Ostendanam primo in septem annos suspendere, deinde penitus abolere debuit; cujus interitus post se traxit ruinam Societatis Orientalis, et Lotteriae Viennensis ex qua jactura aerarii, et fidei publicae secuta est. His malis cum Carolus occurrere posse crederet ea sumtum parsimonia, si pauciores milites paealerentur, multa millia veteranorum dimisit: sed id consilium perniciosum fuisse, bello Italico apparuit. Exteri Principes scopum suum assecuti,

plerique Sanctionem Pragmaticam ratam habuerunt.
(a) Caroli symbolum fuit: Fortitudine, et Constantia.

Maria Theresia Rex XLV. ab A. 1740.
—1780.—40.

§. 1.

Gravissimum bellum Successionis Austriacae, virtute potissimum Hungarorum, ita sustinuit, ut exiguam ditionum jacturam fecerit.

Maria Theresia Caroli III. filia, metuenda omnino, et periculi plena regiminis initia habuit; hostes enim complures nacta est, qui sublata Sanctione Pragmatica, Austriacas ditiones invadere, ac inter se partiri, in animum induxerunt. Primus belli signum sustulit Fridericus II. Borussiae Rex, quatuor Silesiae Ducatus: Jägerndorfensem, Lignitzensem, Briegensem, et Volaviensem, quos Domus Austriaca olim a ditionibus Borussicis avulserit, repetens, eosque, ne longa lite opus esset, celeri expeditione occupavit. Carolus Bavariae Dux, et mox Imperator hoc nomine VII. cum alias ditiones, tum Hungariam ipsam ad se pertinere contendit; quod Ferdinandus I. A. 1545. testamento caverit, ut extincta stirpe vicili Austriaca, haereditarias provincias ejus filia Anna Alberto V. Bavariae Ducis nuptui tradita, aut illius posterii obtinerent; tum quod Mariam Amaliam Josephi I.

(a) Joannes Zehackvitz vita, et gesta Caroli VI.

filiam Carolus in matrimonio haberet. Simile jus sibi esse credidit Augustus III. Poloniae Rex, et Elector Saxoniae, etiam gener Josephi I. Philippus V. Rex Hispaniae a Principibus Austriacis maternum genus ducens, saltem partem Monarchiae ad se pertinere dicebat, Carolus Emmanuel Sardiniae Rex Ducatum Mediolanensem occupare constituit. Accessit Carolus Palatinus Rheni, et Ludovicus XV. Rex Galliae potentiae Austriacae invidus.

Tot hostibus cincta Regina, A. 1741. edito in lucem Josepho, Posonium venit, et de hostium injuriis conquesta, se omnem spem melioris fortunae in virtute Hungarorum collocare, palam testata est. Qua voce incitati Hungari, se ad illam defendendam, vitam, et sanguinem impensuros, conclamarunt, fidemque promissi sancte solverunt. Jam Carolus Bavariae Dux, a Gallo adjutus, magnam partem Austriae, et mox Saxoniciis copiis firmatus, in Bohemia Pragam occupaverat, Rexque proclamatus erat Bohemiae, cum armis accincti Hungari, aliam rebus faciem indiderunt; exercitus enim Gallico Bavaricus ejectus Austria, Bavariam ipsam nostris cedere debuit. Borussus accepta pace Vratislaviensi A. 1742. Silesia Inferiore, Rex Sardiniae, promissa sibi ex agro Mediolanensi parte, conquieverunt. Imperatrix Russorum, Angliae, et Daniae Reges, Batavi, Princeps Guelpherbytanus, ad tuendam pacem Vratislaviensem foedus fecerunt. Elector Saxoniae, abstracto a Gallis suo exercitu, Sanctionem Pragmaticam ratam habuit. Deinde Praga a nostris occupatam, et Galli

fame ac morbis attriti, inter multa pericula Bohemiam deseruerunt.

In Italia Traunius A. 1745. Hispanos ad Campum Sanctum profligavit; Angli cum Hannoveranis, et Hassis Gallos ad Moenum coercebant, et Carolus Lotharingicus, victo Bavarorum Duce Minucio, Bavariam, quam Seckendorffius Caroli VII. Dux recuperaverat, iterum Mariae Theresiae asseruit. Anno sequente classis Hispanica, et Gallica ad Telonem Martis ab Anglis, et Batavis devicta est: et Carolus Lotharingicus cum Traunio, ac Nadasdio, superato diversis partibus Rheno, in Alsatiam irrumpens, occupatis ad Lauterburgum munimentis, Gallos intra montes retrusit. Tot victoriis afflictus Borussus, de retinenda Silesia dubitans, pacem Vratislaviensem violavit, adscitoque in societatem Palatino Rheni, et Principe Hasso Cassellano, totam fere Bohemiam cum Praga occupavit. Quare Carolus Lotharingicus ad defendendam Bohemiam revocatus, spatium Gallis concessit, Bavariam pro Carolo VII. vindicandi: at Fridericum II. non modo Bohemia tota, verum etiam Comitatu Glacensi, et magna parte Silesiae privavit. Inde adversum Gallos Bavaris conjunctos profectus, A. 1745. praelio ad Ambergam victor, Palatinum Superiorem accepit. Carolus VII. non multo post hanc cladem tempore obiit, ejus filius Maximilianus pacem cum Maria Theresia fecit, qua receptis ditionibus Bavaricis, et Sanctionem Pragmaticam ratam habuit, et, cum de eligendo Imperatore deliberatum fuerit, se Francisco Mariae Theresiae marito suffragium da-

torum, promisit. Itaque fecit; et licet Carolus Lotharingicus in Silesiam Inferiorem irrumpens, cladem a Friderico acceperit: contractis nihilominus ad Francofurtum copijs, et Gallis trans Rhenum repulsis, frustra renitente Ludovico XV. Borusso item, et Palatino Rheni, Franciscus Magnus Dux Hetruriae mense Septembri, consentientibus ceteris Electoribus, Imperator creatus est, cujus auspicijs bellum pro vindicanda Silesia fortiter geri coepit; verum cum in Lusatia, et Saxonia minus feliciter pugnatum fuisset, pax facienda erat, quae exeunte A. 1745 coaluit Dresdae, et Silesia Friderico II. denuo permissa est: ille Francisci electionem ratam habuit.

Restituta cum Borusso pace, in Italia cum Hispanis, in Belgio cum Gallis biennio adhuc varia fortuna certatum est, donec Austriacis, et horum foederatis praevalentibus, Ludovicus XV. serio animum ad pacem applicuisset, quae A. 1748. Aquisgrani his legibus conclusa est: 1. Quidquid octo annorum bello occupatum erat, restitueretur. 2. Dux Mutinensis retineret suum Ducatum, Rex Sardiniae Sabaudiam, Genua suas possessiones. 3. Philippus Hispaniae Regis Philippi V. minor natus filius obtineret Parmam, Placentiam, Guastallam, quae ad Domum Austriacam redirent, si absque prole decesserit, aut Regnum utriusque Sicillae adeptus fuerit. Regi Sardiniae e Ducatu Mediolanensi cederet Comitatus Angherae. 5. Borussus possideret Silesiam, excepto Ducatu Troppaviensi et Teschiniensi.

6. Rata in perpetuum haberetur ab omnibus Europae Principibus Sanctio Pragmatica. (a)

§. 2.

Propter Anglorum, atque Gallorum controversias de possessionibus Americanis, et foedus Mariae Theresiae cum Russis, et Polonis contra Borussum, bellum exortum, et magna utrinque virtute septem annis gestum est.

Friderici II. potentia, et politia molimina, vicinis Principibus metuenda videbantur. Igitur Maria Theresia, jacturam Silesiae aegre alioqui ferens, Elisabetha Russorum Imperatrix, et Augustus III. Poloniae Rex, simul Elector Saxoniae foedus ineunt, ad deprimendam Borussi, si quemquam ipsorum adgrederetur, potentiam. Sed origo belli ex America Boreali venit. Angli limites suos in Acadia non satis rite a Gallicis pace Ultrajectina directos questi, arma primi minabantur. Hinc belli inter utrosque semina, facti apparatus, et conquisita foedera. Rex Angliae deditione Hannoverana sollicitus, Principem Hasso Cassellanum, Regemque Borussiae in belli societatem pertraxit. Ludovicus Rex Galliae foedus cum Maria Theresia inivit: haec Elisabetham Russam, et Augustum Poloniae Regem foederis non pridem facti admonuit. Nec mora, Imperatrix Russiae in Livonia, et Curlandia, Augustus ad Dresdam ca-

(a) Pray T. 5. p. 547.—565. Katona T. 39. ab A. 1740.—1748. Palma T. 5. p. 474.—499.

stra metati sunt. Galli eos in Normandia, et Britannia Minore apparatus fecere, ut copias in Angliam transferre velle crederentur. Fridericus in Silesia, Maria Theresia in Bohemia, et Moravia militem majore numero jam prius coegerant.

Suspensis ita aliquamdiu animis, Galli Minorcam terra, et mari obsident, et Borussia ducta copiarum parte, quasi Russos aditu in Germaniam prohibiturus, converso repente in Saxoniam itinere, Dresdam occupat A. 1756. inde in Bohemiam irrumpit, relicta copiarum parte, quae Saxones ad Pirnam observaret. Bellum itaque, quin denunciatum pro more fuerit, jam aperte gerebatur, quod tam alterna utrinque fortuna saepe interceptum est, ut jam haec, jam altera pars prope exitium fuisse videretur.

Sequente anno Fridericus, Saxonibus ad Pirnam deditionem facere, et plerisque sua signa sequi coactis, mense Majo in Bohemia de Carolo Lotharingico, et Bronnio, non sine magna suorum jactura, victoriam retulit: at mense Junio ad Colinum a Daunio eruenta pugna superatus, et ultra Albim retrusus, cum foederati Mariae Theresiae Galli, Imperiales copiae, Russi, et Sveci propius jam, nec infeliciter rem gererent, omnibus impar, seorsim singulis occurrere statuit, felicem rei exitum in celeritate reponens. Qui cum in Imperiales cum Gallis conjunctos, in Thuringiam tenderet, Hadikius Berolinum occupavit, quod pecunia mulctatum, veniente Rege, mox reliquit. Rex urbe a nostris liberata, cursum direxit, quo tendebat, et Imperiales ad Rosbachium in fugam egit.

Interim Nádasdius Schveidnicium, Vratislaviam Carolus Lotharingicus, capto etiam Beverano Duce Borusso, occuparunt. Fridericus ex Thuringia redux, fusas Beverani copias suis adjunxit, et postquam nostros difficili certamine ad Lissam superasset, Vratislaviam recuperavit.

Anno 1758 dubia, sequente sinistra Friderici fortuna pugnatum est; nam, ut alias clades taceam, mense Augusto cum Laudone, et Russis confliens, 20. suorum millia, paulloque post Dresdam amisit, et ipsa hieme Daunius prope Albim Finkium cum 14. millibus Borussorum ad deditio-
nem coegit.

Anno 1760. Laudonius Fouquetum in sua molimina intentum, at egregie delusum, cum toto exercitu, eademque celeritate, et fortuna Glacium interceptit. Sed Fridericus eundem mense Augusto, ad Lignitzium cum Daunio; et Russis cladem sibi parantem, sex millibus nostrorum caesis, profligavit. Eodem anno Russi Duce Czernichef, Austriaei Duce Lascio, Berolinum secundo tenuerunt. Coepit jam tum Fridericus non minus, quam illius hostes, belli onus sentire, arma tamen non deposuit, quod mortua Elisabetha Russorum Imperatrice, ejus successor Petrus III. inito arctissimo foedere, copias suas Borussicis adjunxerit, cujus exemplum Sveci quoque sunt secuti. Tandem A. 1763 facta Parisiis pace, Galli, et Angli primi quieverunt. Parisinam pacem pax Hubertoburgica sequebatur inter Austriam, Borussum, et Saxoni-
nem, qua gravissimum septem annorum bellum so-

pitum est, et possessiones exhaustarum provinciarum ita manserunt, uti ante bellum fuere. (a)

§. 3.

Bello Successionis Bavaricae, ditio inter Danubium, Salzam, et Oenum sita, Austriae accessit.

Ultimis anni vitae Mariae Theresiae, bellum propter Successionem Bavaricam natum est. A. 1777. obiit Maximilianus Josephus Elector Bavariae, qui haeredem masculum nullum, bona diversis titulis nixa reliquit, in quae omnia Palatinus Rheni, Duces autem Meklenburgicus, et Vürtembergicus, tum Archiepiscopus Salisburgensis in partem jus, sibi esse dicebant: Regina eam Bavariae partem quae secundum ripam Danubii ad Oenum fluvium tenditur, velut feudum a Sigismundo Imperatore Domui Austriacae olim collatum, misso exercitu, occupari jussit, et jam cum Palatino amice transegerat, cum Rex Borussiae, tamquam rem Imperii, non suam acturus, intercessit, et tractatione clam cum Palatino, et Bipontino instituta, conventionem Reginae intervertit. Hinc bellum prope certum erat: apparatus fiebant maximi; sed agentibus e voto Mariae Theresiae Russis, et Gallis; post aliquot velitationes, pace Teschinesi A. 1779. lis diremta est. Domus Austriaca partem Bavariae inter Danubium; Salzam, et Oenum fluvios sitam obtinuit; reliqua Palatino Rheni tradita est. (b)

(a) Pray T. 3. p. 572. — 582. Katona T. 59. ad A. 1756. — 1765. (b) Pray T. 3. p. 590. — 592. Katona ad A. 1778. et 1779.

§. 4.

In his bellis Regina Hungarorum virtutem in primis experta, Hungariam variis institutis felicem, florentemque reddere conata est.

In omnibus his bellis fides in Augustam Domum, et fortitudo Hungarorum bellica in primis apparuit. Notum id erat Reginae: quare per omnem aetatem maximo illos studio complexa est. Josephum filium tot provinciarum haereditatem Carolo Battyáni S. R. Imperii Principi erudiendum credidit. Celebrem olim Regiam Budensem, quam bellorum furor penitus destruxerat, a fundamentis excitari praecepit. Neostadii Academiam militarem, ad quam etiam juventuti Hungariae aditus pateret, et ex nobili juventute Hungarica Turmam Praetorianam instituit, cuius fidei se, Augustasque proles crederet. Insignem Ordinem Equitum S. Stephani condidit, ut esset, publicum praemium iis, qui de patria bene mererentur. Viennae, et Vacii pro nobili juventute Convictus novos, antiquis alibi restitutis, Schemnicii Academiam Montanam erexit, in qua disciplinae, ad rem metallurgicam pertinentes excolerentur, Banatum Temesiensem in idem cum Hungaria corpus redegit. Portum, et urbem Fluminensem cum adjacenti plaga, Hungaro Governatore creato, ditionibus Hungaricis, adjunxit. Transilvaniam Magni Principatus titulo ornavit. Tredecim Scepusii oppida cum Podolino, et Lublovia A. 1772. tum A. 1775. Galliciam, et Lodomeriam a Polonis vindicavit.

Rei Catholicae consultura, A. 1777. septem novos Episcopatus condidit, quinque Ramano Catholicos: Albensem nempe, Neosoliensem, Roznaviensem, Scepusiensem, Sabariensem; duos Graecis ritus unitorum: Varadinensem, et Crisiensem; eodemque anno Bucovinam Moldaviae partem a Turcis accepit. Litterarum studia ad eum florem perduxit, ut omnium decessorum suorum gloriam superaret; nam Academiam Tyrnaviensem in Universitatem Scientiarum mutavit, ejusque sedem A. 1777. Budam transtulit. Academias secundum quatuor Regni Circulos distribuit: Tyrnaviae scilicet, Jaurini, Cassoviae, Magno - Varadini; pro Regnis Selavoniae, Croatiae, Dalmatiae, Zagrabiam, pro Transilvania Claudiopolim, ut Academiarum sedes essent, delegit. Gymnasia divisit in octo Districtus, cuique Superiorem Studiorum Directorem Regium praeficiens. Cetera, quae pro Republicae utilitate, ex Ordinum consensu sanxit, tribus Decretis, quae in Corpore Juris patrii supersunt, continentur. Dum ita suorum commodis bene consultum pergit, A. 1780 post brevem aegritudinem, e vivis eripitur, magno cum omnium dolore, rerum gestarum gloria, pietate, studio verae religionis, et bonarum artium excolendarum, cum maximis Regibus comparanda, annis 40. tanta prudentia Hungariam rexit, ut culmen felicitatis attingisse videretur.

Filios reliquit: Josephum II. Leopoldum II. Ferdinandum Archiducem, et Maximilianum Electorem Coloniensem. Filias autem: Mariam Christinam Alberto Saxoniae Electori nuptam, Mariam

Annam, Pragae in Coenobio Sacrarum Virginum Antistitam, Mariam Amaliam Ferdinando Infanti Hispaniae, Mariam Carolinam Ferdinando IV. utriusque Siciliae Regi, Mariam Antoniam Ludovico XVI. Galliae Regi in connubium collocatas, et Mariam Elisabetham.

Longum esset enumerare omnes, qui regnante Maria Theresia, Hungariam illustrarunt. Francisci Nádasdy Croatiae Bani res contra Gallos, Hispanos, et Borussos gestae, totam Europam compleverunt. Andreas Hadik, ob insignem artis militaris cognitionem, ad summos militiae gradus eluctatus, primus ex Hungaris Praeses Consilii Bellici fuit. Siskovits post edita plurima scientiae militaris specimina, Supremus per Bohemiam Armarum Praefectus creatus erat. Carolus Battyáni S. R. Imperii Princeps, toga, et sago clarissimus, aliquamdiu Gubernator. Fransiscus Barkótzy Archiepiscopus Strigoniensis, Religionis Catholicae studiosissimus. Joannes Gusztinyi, et Georgius Klimo, magnae eruditionis viri, uterque humili genere natus, hic Quinqueecclesiensis, ille Nitriensis Episcopus. Ludovicus Battyáni, et Antonius Grassalkovits multis in patriam meritis conspicui, etc.

Carolus VII. Imp. XLVIII. ab A. 1742
—1745.—3.

Ardente bello Successionis Austriacae, Imperator creatus, in eoque utramque fortunam expertus est.

Carolus VII. Maximiliani Bavariae Ducis, et Electoris filius, post quatuordecim mensium Inter-

regnum, opera Gallorum, et Borussiae Regis, Imperator creatus est, ardente jam bello Successionis Austriacae, in quo utramque fortunam expertus, summum felicitatis apicem attigisse videbatur: cum occupatae Bohemiae Rex proclamatus, deinde Romanorum Imperator electus, Hispaniam, Galliam, utramque Siciliam, Borussiam, et Saxoniam suae dignitati favere vidit. At cum eodem Anno Bohemiam, Austriam, et Bavariam ipsam amisisset: Francofurtum, velut exul, se recepit. Bavariam quidem Seckendorffius ejus Dux A. 1743. recuperavit, sed retinere non potuit; Carolus enim Lotharingicus iterum occupatam Mariae Theresiae asseruit. Tandem Austriacis in Bohemiam, et Silesiam digressis, Carolus plura in Bavaria loca recepit, et Monarchii A. 1745. vitae, et Imperii finem fecit. (a).

Franciscus I. Imp. XLIX. ab A. 1745.—
1765.—20.

Mariae Theresiae in gubernandis haereditariis provinciis, tum in bello Successionis Austriacae, et Septennali utilem operam navavit.

Franciscus I. Lotharingiae Magnus Dux He-
truriae, Leopoldi Lotharingiae Ducis filius, nepos
magni illius herois Caroli, qui cum Viennam a
Turcica obsidione liberasset, Hungariam omnem
e barbarorum manibus vindicavit. A Carolo VI.
Imperatore filiae Mariae Thersiae maritus lectus

(a) Moser Historia Germaniae sub Carolo VII. Imp.

post mortem Caroli VII. invitis Gallis, Electore Brandeburgico, et Palatino Rheni, sed consentientibus reliquis Principibus, summam Imperii obtinuit, illiusque opera cum in haereditariis provinciis Austriacis gubernandis, tum in bello Successionis Austriacae, et Septennali permagni fuit. Compositis his bellis, effecit, ut Josephus II. concordibus Electorum suffragiis Rex Romanorum eligeretur. Sed dum alterius filii Leopoldi, jam Magni Ducis Hetruriae, cum Ludovica Hispana nuptias Oeniponti celebraret, repente e vivis ereptus est A. 1765. Singularis omnino, raraeque prudentiae Princeps, ut subjectos sibi populos amabat, ita vicissim ab iis amabatur, majestatem comitate, justitiam clementia, parsimoniam liberalitate temperare solitus. (a)

Josephus II. Rex. XLVI. ab A. 1780.—
1790.=10.

§. 1.

Susceptis per varias provincias peregrinationibus, magnam experientiam adeptus, in rebus tam sacris, quam civilibus non parvas mutationes fecit.

Josephus II. Francisci, et Mariae Theresiae filius, excelsi animi, aeris ingenii, prudens, humanus, amans justitiae, laboris patientissimus, et

(a) Grebner Compend. Hist. Univ. et Pragm. T. 3. p. 1331. Biner Apparatus eruditionis P. IX. p. 161. et seqq.

ad res maxime arduas gerendas natus Princeps, a morte patris, ab Augusta matre Austriacarum ditionum Corregens renunciatus, rei que militari praefectus, in id praecipuo studio incubuit, ut militiam numero auctam, in ordinem redigeret, et per diligentem exercitationem disciplina militari excoleret; sibi vero, quae ad gubernandum requiritur, scientiam, atque virtutem compararet. Igitur quotannis decursiones militares obire solebat; et praeter ditiones haereditarias, interiorem Italiam, Galliam, ac Russiam, ante matris obitum, perlustravit: illas quidem, ut subditorum animos, et statum cognosceret; has, ut, quae olim cum emolumento in suas ditiones invehere posset, videret. Unde factum est, ut, qui majoribus dotibus instructus ad regendum accessisset, quam Josephus, nemo adhuc Regum Hungariae fuerit. (a)

Summam rerum adeptus, Status omnes, et ipsam regiminis formam mutare constituit. Ordines Religiosos alios penitus abolevit, aliorum numerum diminuit, et bona ad augendum Paroeciarum numerum convertit; alios, quos et sacrae, et profanae Reipublicae utiliores esse noverat, in 158. domibus permisit; omnibus tamen prohibuit, ne cum suis Generalibus, qui Romae plerumque residebant, ullam communionem haberent. Seminaria pro Clero Juniore, particularibus obrogatis, primo tria, postea duo generalis Posonii, et Pesthini instituit. Ad impediendas religionis causa dis-

(a) Lebens- und Geschichte K. Joseph des Zweyten. 2. Th. Amsterdam 1790.

sensiones, et concordiam animorum conciliandam, A. 1781. Decretum Tolerantiae edidit: libertatem typi indulsit: Nunciorum Apostolicorum potestatem circumscripsit: jura denique Majestatis, quae Principibus saecularibus circa sacra competunt, omnium decessorum suorum latissime extendit, et ab iis, quae decreverat, ne per Summum quidem Pontificem, quem A. 1782. Viennae hospitem habuit, dimoveri potuit. (a)

Ad statum civilem mutandum conversus, Hungariam omnem, et Illyricum in decem Circulos divisit, Regios singulis Commissarios praeficiens; tum domos sine discrimine numeris insigniri, et incolarum numerum conscribi jussit, constitutis etiam viris, qui fundos omnes, ne Nobilium quidem exceptis, dimetirentur. A Cancellaria Regia res Judiciarias separavit; Consilium Regium Posonio Budam transtulit, et cum hoc Cameram Regiam Hungarico Aulicam penitus conjunxit. Denique praecepit, ut misso Latino idiomate, omnia negotia publica, uti etiam in scholis litterarum studia sermone Germanico pertractarentur; praeterea instituit, ut ii, qui Latinas scholas frequentarent, didactrum solverent, in subsidium pauperum, qui excellere, convertendum.

Aerario publico consulturus, magna Aulae impedimenta imminuit, et privatum Principis fiscum ex quo gratuitae pensiones annuae dari solebant, sustulit: subditorum industriam praesentia sua,

(a) Collectio Benign. Norm. Resolut. Caes. Reg. in Materia Commiss. Eccl. Tomi 2. Katona T. 40.

exemplo, privilegiisque acuit, quorum commoda ut, aucta mercatus facilitate, adjuvaret, portum Segniensem, et Carlobagensem aperuit: Flumine, et Buccari Societatibus, quae navalem mercatum exercere vellent, varia privilegia impertivit: Carolostadium a militari jurisdictione exemptum, inter Regias civitates retulit, indeque viam, Josephinam dictam, 14. milliarium spatio, versus Segniam duxit. (a)

§. 2.

Interea Valachi in Transilvania, et Belgae gravem seditionem excitarunt.

Curas, et conatus Josephi, in subditorum sibi populorum commodo susceptos, duplex seditio, duplexque bellum distraxit. Seditionem primam A. 1784. Valachi in Transilvania excitarunt, Hora, et Kloska hominibus nefariis auctoribus, contra quos in personas, ac bona Nobilium dirissime saevientes, cum parum Nobiles proficerent, miles Caesareus missus est, cujus adventu, Sacerdotum suorum monitis, ac Josephi clementia, veniam, si ad sua reverterentur, promittentis, plerique permoti conquieverunt: pertinaciores in faucibus montium conclusi, cum se ab auctoribus mali turpiter delusos, nunc demum intelligerent, eosdem elabi volentes dederunt, quibus supplicio adfectis, quod metuebatur malum, dissipatum est. (b)

(a) Idem (b) Millot Hist. Univ. T. 15, p. 298. —
394.

Graviorem tumultum A. 1789 Belgae Catholici, jura, et immunitates suas a Josepho violari, conquesti, concitarunt, quem is, morte praeventus, sedare non potuit. (a)

§. 3.

Bellum primum cum Batavis, alterum cum Turcis gerendum erat.

Cum Belgae foederati Scaldim fluvium, magno cum Belgii Austriaei detrimento, et Antverpiensium ruina clausum tenerent idoneos ad bellum apparatus fecit Josephus, ut ad liberam per idem flumen subditis suis concedendam navigationem, Rempublicam cogeret. Sed priusquam ad cruenta praelia veniretur, agente Ludovico XVI. Rege Galliae, pax facta est, qua Belgae non modo jus navigandi ab Antverpia usque Saftingam, verum etiam oppida nonnulla, et praesidia ad Scaldim Caesari concesserunt, et sumtus belli solverunt. (b)

At vero cum Turcis, quod Crimeam Russis eripere voluissent, armis dimicatum est: Catharinae enim II. Imperatrici foedere junctus Caesar, universas copias A. 1788. in hostes eduxit, quibus ipse cum Lascio praefuit. Nec infelicia fuere initia; nam spacio paucorum mensium, nostri Szabatsium, Dubitzam, Choczim, et Novi expugnarunt. Postea cum, svasu Lascii, a Croatia usque ad Bu-

(a) Remer Handbuch der neuern Geschichte. P. 2. p. 355. — 359. (b) Millot T. 15. p. 274. — 278. et p. 361. — 379.

eoviam agmen duceretur, hostium molitiones ob-
 servans. Turcae illud pluribus in locis perruperunt
 et in Banatum illapsi, non leves populationes fe-
 cerunt. Interim in exercitu silvis, paludibusque
 concluso morbus grassari coepit. Caesar ipse ad-
 flicta valetudine Viennam redire debuit, bellumque
 Hadikio primum, tum Gedeoni Laudon admini-
 strandum commisit. Hujus imperio magna commu-
 tatio rerum facta est A. 1789. Princeps enim Ho-
 burg, Suvarovio Russo conjunctus, insignem de
 Vezirio victoriam in Valachia, retulit, et Laudo-
 nius ipse, expugnata Gradisca, Belgradum die 29.
 Septembris obsidione clausum, post dies novem,
 et eodem fere tempore Semendriam deditione ac-
 cepit. Tum laeti armorum successus affligerunt
 Vilhelmi II. Borussiae Regis animum; quare inito
 A. 1790. foedere, ad defendendas Turcarum ditio-
 nes auxilia liberaliter obtulit. Belgae Catholici
 majores, quam initio, seditionis motus ciebant.
 In his rerum adjunctis Josephus lethali morbo cor-
 reptus, ut quietas ditiones fratri relinqueret, mu-
 tationes, quas fecerat, irritas declaravit, tribus
 saltem Constitutionibus: de sic dicta Tolerantia,
 Ordinibus Religiosis, et libera subditorum migra-
 tione, ad proxima comitia relegatis; nec multo
 post remissis Budam Regni insignibus, die 20.
 Februarii sancte ad mortem comparatus obiit
 1790. (a)

(a) Millot T. 15. p. 254. — 262. Remer l. c. p.
 541. — 547. Katona T. 40. ad A. 1787. — 170.

Ex priore uxore Maria Isabella Infante Hispaniae unicam filiam, matura morte sublatam, ex altera Maria Josepha, Caroli VII. Imperatoris filia nullam prolem suscepit.

Josephus II. Imp. L. ab A. 1765. —
1790. = 25.

Josephus II. a morte patris, Imperio Romano Germanico Summa auctoritate statim praefuit, primasque curas eo convertit, ut in Camera Imperiali cursum judiciorum promptiorem redderet. Provinciarum Austriacarum, et Imperii securitati consulturus, Russos bello Turcico felices, ab occupanda Moldavia, et Valachia impedivit, inito in hunc finem cum Friderico II. Borussiae Rege arcano foedere. Belgas foederatos metu armorum adiecit, ut militem suum e praesidiis Austriacis, in quibus a Caroli VI. temporibus excubabat, educerent: sed ejusdem conatum, Belgium Austriacum commutandi cum Bavaria, irritum fecit foedus Principum Germaniae, auctore maxime Friderico II. et Duce Bipontino initum. Caesari huic communis boni studiosissimo, et magna semper molienti, Augustus Imperator, et Rex Franciscus A. 1806. Viennae perenni monumentum posuit. Symbolum ejus fuit: Virtute, et exemplo.

Leopoldus II. Rex XLVII. et Imp. LI.
ab A. 1790.—1792. = 2.

§. 1.

Difficilia regiminis initia nactus, immunitates Hungarorum, et 74 sanctionum capita Decreto Regio confirmavit.

Leopoldus II. Francisci Lotharingici, et Mariae Theresiae alter filius, patre e vivis sublato, Magnum Ducatum Hetruriae annis 25. tantâ prudentia rexit, ut per omnem Europam vulgo Sapiens Princeps cognominaretur. Post mortem Josephi II. vi Sanctionis, Pragmaticae, haereditariis ditionibus potitus, initia regiminis difficilia habuit; nam Belgium omne, propter factas a Josepho mutationes, in armis adhuc erat, Hungari ob eandem causam querelis omnia complebant; Borussia susceptis Turcarum partibus, et copioso milite ad Bohemiae, Moraviaeque fines collocato, bellum in has provincias traducturus videbatur; Galli denique Divina, ac humana jura miscebant. Omnibus tamen his malis Leopoldus prudenter occurrit.

In primis ad componendos Hungarorum animos, plerasque res, in quas Josephus II. mutationem induxerat, juxta pristinum morem, qui ante illius regimen obtinuit, agi praecepit: alias in comitiis, quae ad 6-am Junii Budam indixit, e communi Ordinum voto, definiendas promisit. Itaque Praeres, et Nobiles, uti constitutum erat, Budam pro 6-a Junii convenere, conditoque diplomate,

quod ante inaugurationem Rex ratam haberet, eundem per Oratores Viennam missos invitavere. Sed ille tum statim venire non potuit, Francofurti prius die 9-a Octobris corona Imperii insigniendus. Inde reversus, comitia Regni Buda Posonium transiit, in quibus primo Alexander Leopoldus Regius Princeps, communibus votis, Palatinus renunciatus. tum die 15-a Novembris Leopoldus magna cum Ordinum laetitia sacra corona redimitus est. Auxere publicam laetitiam Ferdinandus V. Rex Neapolitanus, cum Serenissima sua conjuge, Princeps Albertus cum Archiduce Christina, Regii Principes: Franciscus, Carolus, Ferdinandus, alique praesentes. Peracta coronatione, Regis diploma lectum est, quo successores suos obligat, ut intra semestre a morte Regis computandum, semet coronandos curare, ac jusjurandum praestare teneantur.

Consultationes porro in bonum commune usque ad 15 am Martii anni sequentis continuatae, et 74. Articuli conditi sunt, quos, Leopoldus solenni Decreto confirmavit. Cetera inter decernitur: Ut in omnibus Academiis, et Gymnasiis lingua Hungarica doceatur. Sublato omni inter privatum, et publicum religionis exercitium discrimine, Protestantibus liberum religionis exercitium conceditur cum libero templorum, turrium, campanarum, scholarum et sepulchrorum usu Jazygibus, Cumanis, Haidonibus jus tribuitur ablatos cum voto ad comitia mittendi. Subditis libera migratio indulgetur. (a)

a) In Corp. Jur. P. 2. p. 459. — 367.

§. 2.

Bellum Turcicum pace Sistoviensi terminavit. Belgium composuit. De salute Regis Galliae sollicitus, cum Rege Borussiae Pillnitzii foedus inivit.

Etsi Leopoldus felicem sperare posset belli Turcici exitum; quod nostri, capta Orsova, longius in ditiones Turcicas proeursuri viderentur; de Belgis tamen sollicitus, turbasque Gallicas animo reputans, simul quietem suis procuraturus, Borussum primo ad concordiam adduxit Reichenbachii in Silesia Inferiore, pollicitus, se Turcis omnia restitutum, quaecumque hoc bello ab ipsorum ditio- nibus avulsa fuissent. Pacem Reichenbachensem secuta est A. 1791. mense Augusto Sistoviensis cum Turcis, qua hi Belgradum, Orsovam, aliaque bello amissa receperunt, duobus exiguis tractibus exceptis, quorum alter a limite Banatus Temesien- sis usque Csernam amnem, alter a limite Croatiae usque Unnam fluvium extenditur.

Tum primum Belgae, copiis Caesaris adhuc resistere ausi, ad obsequium rediverunt. Sed tumultus Gallici in dies ingravescebant. Quare cum Principes Imperii Germanici bona sua in Alsatia, et Lotharingia a Conventu Nationali Gallico occupata esse quererentur, viadicemque desiderarent, et universis Europae Principibus Gallorum cum Rege suo agendi ratio periculosa videretur: Leopoldus cum Vilhelmo II. Borussiae, et Gustavo III. Sveciae Regibus Pillnitzii foedus sanxit, quo se

terni Principes obstrinxerunt, ad omnem suam operam eo conferendam, ut Galliae Regi pristina auctoritas, et Imperii Principibus bona restituerentur. Quae cum a Gallis Leopoldus postularet, amicum se ipsorum fore, si votis suis subscriberent, pollicitus: hi de foedere Pillnitzensi edocti, bellum ipsi die 11-a Martii A. 1792. qua Regi Hungariae indixerunt; quod suscepta Principum Germaniae caussa, et initis ad evertendam Gallorum libertatem foederibus, nationis Gallicae majestatem laessisset. Sed Leopoldus, multa pro subditorum suorum commodo molitus, pius, prudens, et boni communis studiosissimus Princeps, jam die 1-a Martii diem supremum obierat. Symbolum habuit: Opes Regum corda subditorum. Item: Amore, et justitia.

Ex uxore Maria Ludovica Caroli III. Hispaniae Regis filia suscepit; Franciscum hodiernum Imperatorem Augustum, et Regem Hungariae, Ferdinandum Magnum Ducem Hetruriae, Carolum Generalissimum, Alexandrum Hungariae Palatinum, Albertum, et Maximilianum in tenera aetate extinctos, Josephum Hungariae Palatinum, Antonium Magnum Ordinis Teutonici Magistrum, Joannem, Reinerum, Ludovicum, Rudolphum Archiduces; filias autem: Mariam Theresiam Antonio Theodoro Duci Saxoniae nuptam, Mariam Annam Pragae Sacrarum Virginum Antistitam Mariam Clementinam Francisco Januario Siciliae Regis filio desponsatam, et Mariam Amaliam.

Franciscus Rex. XLVIII. Imp. LII. ab
A. 1792.

§. 1.

Bellum I. Gallicum.

Franciscus Leopoldi II. filius, die 6-a Junii
A. 1792. Budae solenni ritu inauguratus, quod se-
curitati suorum consulere volens, copiosum in Bel-
gio militem collectum haberet, gravissimo bello
Gallico continuo implicitus est. Primi Galli in Bel-
gium Austriacum irrumpendo, et Episcopatum Ba-
sileensem adoriendo, initium belli fecerunt. At no-
stri junctis Borusso, Anglo, et Hollando viribus,
intrarunt Galliam, et usque Catalaunum progressi
sunt, jam etiam Hispanis, Sardis, ac Neapolitanis
hostili Regno imminentibus. Ita felicia fuere in-
tia. Sed brevi exercitus noster, annonae penuria
laborans, redire debuit. Usus hac occasione Gal-
lus, in Germaniam Francofurtum usque penetrat,
alter exercitus occupat Sabaudiam; tertius, ex-
cepto Luxemburgo, universum Belgium Austriacum,
Gallicae potestati subjicit. Hujus quidem urbes plu-
rimas non multo post, designatus a Caesare Belli-
dux Princeps Koburgicus recuperavit; sed cum for-
tuna variare incipit, Principes foedere juncti, pri-
vatis commodis intenti, sensim ab armis recedunt
Primus Borussis magnam secum Principum Ger-
maniae partem a Caesare abstraxit: illum secuti
Hollandi, ultro Gallis contra Domum Austriacam
adhaeserunt: tum Hispanus, dein Sardus, tandem
Neapolitanus a foedere discesserunt. Ita gravissimi

belli molem Augustus Caesar sustinere coactus, post multas illatas, acceptasque clades, cum in ditiones Austriacas hostes irrupissent, A. 1797. pacem non minus Gallis, quam nostris optatam, tractatu Formidinensi in Foro-Julio inivit, qua Belgium, Ducatum Mediolanensem, et Mantuanum amisit: sed Venetias cum regione inter mare Adriaticum et Athesim sita, nec non Istriam, Dalmatiamque obtinuit, ditiones ad mercatum promovendum sane utiles. Ejusdem pacis legibus limes Imperii Germanici designatus est Rhenus.

Dum bellum hoc varia fortuna gereretur, domi malesani quidam, auctore Ignatio Martinovits Abbate, facta conspiratione, universam regiminis formam evertere in animum induxerunt: verum tempestive detectis sceleratorum consiliis, comprehensi, A. 1795. pars supplicio affecti, pars in carceres detrusi, meritis poenas dederunt. Eodem anno Alexander Regni nostri Palatinus miserando fato Laxenburgi ereptus est. Communem inde ortum dolorem Augustus lenivit, alterum germanum suum Josephum nobis, nostrique amantissimum Palatinum concedendo.

§. 2.

Bellum II. Gallicum.

Pax Formidinensis diuturna non fuit. Cum articulus ille, quo Galliae, et Germaniae limes Rhenus fluvius constituebatur, Principes Imperii respiceret: cum his quoque Reipublicae paciscendum erat. Quare ad diem 9-am Decembris A.

1797. Congressus est indictus Rastadium, quo urante, Galli regionem ad laevum Rheni latus sitam occupasse, ac in Departamenta divisisse non contenti, Hollandiam in Rempublicam Bataviam, Vaadtlandiam Helvetiae in Rempublicam Lemanicam, ditionem Pontificiam in Rempublicam Romanam, Regnum Neapolitanum in Rempublicam Parthenopeam commutarunt; Genevam suis ditionibus addiderunt; denique possessiones quasdam etiam citra Rhenum postulantes, Manhemium ac validissimum praesidium Ehrenbreitstein, violata pace, occuparunt; cumque etiam Aegyptum, Turcis subjectam, Duce Bonaparteo invasissent: iterum Russiam, Aulam Ottomannicam, Austriam cum pluribus Imperii Principibus, Neapolim, Portugaliam, et Africam Borealem ad bellum provocarunt. Pugnatum A. 1799. haud infeliciter; nam ad Aegyptum classis Gallica ab Anglis, Duce Nelsono, profligata est; plures in mari Mediteraneo insulas Russi, ac Turcae occuparunt: in Italia Duce Kray ad Veronam, Duce Suvarovio ad Trasymenum, et Novi ingenti clade adfecti sunt Galli; recuperata Mantua, Alexandria, Tortona; ejecti e toto Regno Neapolitano, et Hetruria. At Russi in Helvetia malemuletati a Massena, haud multo post domum redierunt, et Bonaparte, elusis, qui Aegyptum obsidebant, hostibus, domum reversus, sublataque Directorum auctoritate, primus Consul creatus, fortunam belli mutavit. Duos quippe validissimos exercitus contra Austriam, reliquamque Germaniam eduxit. Alter Duce Moreau, post quatuor cruenta praelia, Krayum Ulmam usque rejecit: alterum ipsa

Bonaparte magno labore per alpes in Italiam tra-
duxit; ac die 14. Junii A. 1800. ad vicum Marengo
Austriacos, quos Melas ducebat, post aere, ac diu
anceps certamen, eo redegit, ut inducias peterent.
Cum et Moreau pari fortuna usus, capto Lincio,
Viennae obsidionem minaretur: die 9. a Februarii
A. 1801. Franciscus pacem Lunaevillensem am-
plexus, Belgio Austriaco, Comitatu Falkenstein,
et omnibus ultra Rhenum: ac in Italia ultra Athe-
sim sitis ditionibus renunciavit.

Sedato Martis furore, studia pacis promota
sunt. Perfectis canalibus, Francisci dictus, qui Ti-
biscum, ac Danubium conjungit. Restituti Bene-
dictinorum, Praemonstratensium, et Cisterciensium
Ordinis, eo consilio, ut, qui se iis dicavissent,
Religionem veram cum bonis artibus tenerae ju-
ventuti instillarent. Erectum Vacii Institutum Sur-
domutorum. In comitiis Posoniensibus A. 1802.
celebratis, promissa militum supplementa, si bel-
lum oriretur. A Comite Georgio Festetics suggesta
cogitatio de erigenda in Hungaria Academia mili-
tari. Ejusdem Comitatus boni communis studiosissi-
mi Georgicon Heszthelyini florere coepit. A. 1804.
Rex Apostolicus Episcopatum Agriensem Archi-
episcopatus dignitate ornavit, et Cassoviensem, ac
Szathmariensem Episcopatum erexit. Pesthini Cen-
trale Cleri Junioris Seminarium constituit A. 1805.
Rationem Educationis publicae praescipit. In Uni-
versitate Vindobonensi Linguae, ac Litteraturae
Hungaricae Professorem esse jussit A. 1806.

§. 3.

Bellum III. Gallicum.

Inter haec mutationes politicae, A. 1805. factae, tertio bello Gallico occasionem praebuerunt. Napoleon Imperator Galliae priore anno proclamatus, ac die 2-a Decembris a Pio VII. P. M. auctus, coronam sibi Parisiis imposuit. Franciscus Caesar minime adversatus, et ipse die 10-a Augusti Haereditarii Imperatoris Austriae titulum, et honorem suscepit, quae honoris accessio ab omnibus subditis cum maximae laetitiae significatione accepta est. Sed Gallus plura concupiscens, sumto Regis Italiae titulo, se ipsum Mediolani coronavit, neque satis habens, Respublicam Genuensem libertate privatam, mox Parmam, Piacentiam, Guastallam ditioribus suis adjunxisse, etiam de Statu Veneto possessiones quasdam pro Regno Lombardiae repetebat. Haec, et his similia paci Lunaevillensi adversa, cum ostenderent, Gallos supra ceteras nationes immoderate sese efferre, neque per litteras Franciscus proficeret: facto cum Russis, et Anglia foedere, bellum Gallis indixit. Napoleon ad bellum paratus, copias in Anglos destinatas, Bononia revocat, et Rhenum versus proficisci jubet, reservatoque sibi supremo imperio, exercitum in septem partes divisum, totidem Ducibus committit, repente ex pluribus partibus impetum in hostes factururus. Augustus Caesar in Germania Makkium, in Italia Carolum Archiducem copiis praefecit. Sed exercitus Makkii, Ulmam usque progressus, a super-

venientibus Gallis conclusus, postquam Ferdinandus Archidux, facta per medios hostes ferro via, virtute Hungarorum equitum, periculo subductus fuisset, deditionem fecit. Itaque Napoleon, Bavariam, Austriamque celeriter emensus, Viennam, nemine resistente, capit, ipse in Schoenbrunn sedem figit, populationes suis Posonium, ac Jaurinum usque indulget. Carolus Archidux, cognitis hostium progressionibus, ex Italia reduxit exercitum, quid illi moliantur, sollicite observaturus.

Inter haec comitia celebrata sunt Posonii, et imminente securitati externae totius Monarchiae periculo, decretum: Ut universi Nobiles vel per se, vel per idoneos equites arma caperent: praeterea a singulis portis duo equites, et sex pedites in campum educerentur. Dum nostri se armis diligenter, sed jam sero instruunt: Russicus exercitus, mense Julio iter ingressus, per Galliciam, et Silesiam venit, castraque ad Brunam posuit. Quo auditó, Napoleon copias contrahit, et in Moraviam transiens, loco opportuno ad Auszterlitz castra facit. Die 1-a Decembris lustrato suo, et explorato Russico exercitu, Alexandro Imperatori inducias offert; quod iste metuentis, parumque viribus suis fidentis animi indicium esse ratus, non exspectato Carolo Archiduce, inducias rejicit, et postero die cum suis, paucisque Austriacis hostem magna fortitudine adgreditur. Gallus ejus loci ignarus, tamdiu prementi Russo cedebat, dum in paratas insidias deductum, levi negotio opprimi posse crederet. Tum vero repente conversus, milite, et paludibus conclusum ita tenuit; ut nullus elabendi

Iocus superesset acre : ergo certamen committitur, multumque sanguinis utrinque funditur ; sed victoria a Gallo stetit : multa Russorum millia partim aquis hausta , partim hostium ferro periere. Franciscus attrito foederis socio , arma posuit, et pacem Posenii factam amplexus , Statum Venetum , Austriam Anteriorem , ac Tyrolim amisit.

Anno sequente Caesar , veterem Imperii Germanici formam retineri non posse intelligens, Napoleone Galliae Imperatore Principes illius ad Foedus Rhenanum cogente : titulo Electi Imperatoris Romanorum , et Regis Germaniae renunciavit. Ad sarcienda aerarii damna ; Ordines Regni in comitiis A. 1807. Budae celebratis , obtulerunt reddituum suorum unius anni e bonis immobilibus partem sextam , e mobilibus centesimam. Anno vero 1808 iterum Posenii collecti , coronata Regina Maria Ludoyica , potestatem fecerunt Regi , si intra triennium necessitas publica postularet , Nobiles ad signa convocandi. Decretum , ut Academia militaris in Hungaria erigeretur , ad quam multi , exemplo Reginae , aes liberaliter contulerunt , quemadmodum etiam in Musaeum Nationale , cui condendo Comitibus Francisci Szétsényi liberalitas praecipua subsidia contulit. Eodem anno Caesar occasione solennium nuptiarum , Insignem Ordinem Leopoldi Imperatoris instituerat , in quem continuo multae ex Hungaris cooptarat.

§. 3.

Bellum VI. Galicum.

At vero tot provinciarum jactura, et novis Napoleonis moliminibus commotus, A. 1809. dum hic exauctorato in Hispania Carolo IV. eique fratre suo Josepho suffecto, eum male contentis Hispanis dubio Marte decertaret: eidem bellum indixit, copias suas validissimas trifariam dividens, Ducibus Carolo in Germania, Joanne in Italia, Ferdinando in Gallicia, qui omnes in principio feliciter rem gesserunt; nam Caroli exercitus usque Ratisbonam, Joannis usque Veronam brevi tempore progressus est, Ferdinando cum rebellibus Polonis bono successu dimicante; quum Napoleon ad exercitum suum veniens, aleam belli invertit; postquam enim ad Eckmühl, et Ratisbonam nostros vicisset, adjuncto sibi Bavaro, in Austriam illapsus, Viennam ditione accepit; sed dum copias Hungariae infundere parat, die 22-a Maji ad Aspern ab Archiduce, et Generalissimo Carolo magno praelio superatur. Interea Joannes Archidux exercitum Italicum in Hungariam reduxit, et quamquam ab Eugenio Prorege premeretur, die 15-a Junii Jaurinum appulit, seque cum nobili militia Hungarica conjunxit. Eodem postero die Eugenius venit, nostrosque continuo adortus, post acre certamen, quod equitatus nec exercitus satis, nec ad pugnam comparatus esset, perturbatus ordinibus, Comaromium propulit. Jaurinum tamen ante 24-am Junii capere non potuit, a Colonello Mi-

thaele Péchy egregio stratagemate fortiter defen-
 sum. Etiam Ferdinandus Archidux Galliciam e-
 seruit, quod, cum rebelles persequeretur, loca a
 nostris relicta occuparent Russi. At Napoleon cla-
 dem ad Aspern acceptam redditurus, Gallicas,
 auxiliaresque copias ad Viennam confluere, et ve-
 niente ad 4-am Julii, paucis Jaurini, ac ad Poso-
 nium, diu nequiequam oppugnatum, relictis, Eu-
 genio, insulam Lobau insidere jubet, misso in no-
 stros bombardum, granatarumque imbrem, transitum
 sibi ad laevam Danubii ripam paraturus. Usque
 vesperum ejus diei totus exercitus fluvium trans-
 misit, et incenso noctu Entzendorffio, opportunam
 in proximis saltibus fixit stationem. Exercitus Ca-
 roli Archiducis a Stammersdorffii collibus per Wa-
 gramum usque ad Neusiedel porrectus, duas acies
 efficiebat. Die 5-a Julii sub meridiem eos, qui ad
 Wagramum, et Neusiedel consistebant, hostis im-
 petere coepit machinis bellicis, sed rejectus est:
 utrumque oppidum ea tempestate incensum, et
 ambo exercitus noctem armis accincti exegerunt.
 Carolus Archidux pugnam in posterum diem de-
 cernens, Joanni Archiduci nunciavit, ut exeuban-
 tes ad Posonium cohortes adduceret, laevum aciei
 cornu firmaturas. At illae tempestive adesse non po-
 tuerunt; hostis enim primo diluculo nostros ad ortus,
 laevum, quod a Joanne firmandum erat, cornu
 cinxit, perturbatisque ordinibus, Znoymam versus
 cedere coegit. Insecutus est hostilis exercitus Duce
 Massena, et die 11-a Julii ad manus ventum. Post
 eventam pugnam inducie factae, quas pax Vien-
 nensis secuta est, die 14-a Octobris. Hac pace

amisimus partem Austriae inter Danubium, Oenum et Salzam fluvios sitam, Salisburgum, Bertholdsgadam, dimidium Circuli Hausrückensis, Circulum Villacensem ex Carinthia, Carnioliam, Foroiulium, Goriciam, Istriam, Tergestum, ex Croatia 40 milliara quadrata, Galliciam Occidentalem, et Districtum Zamoscensem Regi Saxoniae cessum, ex Gallicia Orientali 240 milliaria quadrata, quae Russorum Imperatori accesserunt. Salinae Vielicz-kenses Caesari Augusto, et Regi Saxoniae factae communes.

Magna hominum, terrarum, et aeris jaectura quatuor haec bella Gallica Augusto steterunt, iisque potissimum debetur tantopere exhaustum aerarium, ut incommoda hinc provenientia, provincias omnes ad Domum Austriacam pertinentes pervaserint. Ad illa tollenda, ac diminuendum, quod in dies singulos crescebat, rerum omnium pretium, Augustus Dominus A. 1811. die 15-a Martii de ratione redimendi, quae multae nimis prodierunt, Schedas Bancales, decretum eadem hora per univrsam Regnum promulgandum curavit.

§. 5.

Bellum V. Gallicum.

Anno 1812. die 14-a Martii ad conservandam in continente, mari autem quo ocius restituendam pacem, cum Napoleone Galliarum Imperatore, cui A. 1810. filiam Mariam Ludovicam desponderat, foedus percussit, eique, cum bellum adversum Russos suscepisset, 24. peditum, sex equitum mil-

lia

lia dedit, qui Duce Principe Schwartzberg, Polonis, et Saxonibus conjuncti, pluribus editis heroicae fortitudinis exemplis, ultra Bugum penetrarunt. At cum Napoleon etiam post infelicissimam suam in Russiam expeditionem, etsi a Borusso jam desertus, ita se gereret, ut illius cupiditas, ex aliorum ruina suam potentiam augendi, appareret: Franciscus quoque Caesar communem causam Europae Principum defendendam suscepit, et soluto Congressu Pragensi, in quo per inducias de concordia frustra agebatur, universas vires in ipsum convertit, partem maximam in Germania Principi Schwartzberg committens, alteram cum Barone Hillero, cui subinde Comes Bellegarde successit, in Italiam expediens. Itaque bellum gravissimum recrudit, et a mense Augusto A. 1813. usque ad finem Martii A. 1814. multa cruenta praelia, magna utrinque virtute commissa sunt. Sed Principes foedere juncti, Austriacus, Russus; et Borussus, ad quos primi Sveci, subinde Bavari, Württembergi, Hollandi, Dani, et plures Germaniae Principes, in Italia vero Neapolitani accessere, praevaluerunt. Angli pridem Gallis inimici fuere. Praelia ad Culm, Lipsiam, et Hannaviam fregerunt Napoleonis potentiam, qui reductis ultra Rhenum copiis, frustra conatus est vires attritas reparare. Diuturnis bellis fatigati, et exhausti Galli, nova auxilia langvide ei suppeditarunt. Quare nostris, transmissis etiam Rheno, prompta fuit victoria. Ultimum ad ipsos Parisios die 30-a Martii A. 1814. consertum praelium sortem Napoleonis decidit; dissipatis enim magni exercitus reliquiis, nostri postero die Parisios de-

ditione acceptos triumphantes intrarunt. Die 1-a Aprilis Senatus coactus, sequente die Napoleonem cum sua familia throno excidisse pronuntiavit, qui a suis, et a fortuna se desertum videns, die 11-a ejusdem mensis solenni forma dignitate sese abdicavit; nec multo post ad insulam Elbam a foederatis Principibus cum annua pensione sibi destinata concessit, retento Imperatoris titulo. Illius Augusta conjux Parmam, Piacentiam, et Guastallam obtinuit. Ludovicus XVIII. infelicis Ludovici XVI. frater ad regendam Galliam cum tota familia Borbonica ex Anglia revocatus, die 31-a Maji Parisiis cum Principibus foedere junctis pacem sanxit, qua Galliae limites ii fere, qui A. 1792. die 1-a Januarii fuere, constituti sunt. Inter praecipua belli consecraria numerandum est, quod Pius VII. Pontifex Maximus, post diuturnam captivitatem, libertati restitutus sit. At Franciscus Caesar exercitui ubique adhaerens, suaeque praesentia Ducum, ac militum virtutem inspirans, terminato feliciter bello et redita nationibus pace, tamquam Liberator Europae cum magno laudum encomio, et plurimorum populorum laetitia ubique acceptus, die 16-a Junii triumphans Viennam redivit, postquam anno integro publicae felicitatis gratia adfuisset. Dierum autem mensis Octobris in finem vergentis, nominatim 24. 25. 26. 27. jucundissima erit apud Hungaros memoria, quibus Franciscum, Alexandrum, Fridericum Wilhelmum, felicissimo foedere sociatos, inter maxima laetitiae signa, in metropoli Regni venerati, eximiae Eorum clementiae, ac popularitatis testes fuerunt.


Viennam reversi Summi Principes, per se oratores suos, Imperiorum, et Regnorum limites, ac jura definiverunt. Quo summi momenti negotio nondum peracto, Napoleon mense Februario A. 1815. ex insula Elba egressus, sequente mense in Galliam venit, et postquam Ludovicus XVIII. in Belgium discessisset, nemine resistente, Parisios intravit, necessariosque ad bellum, quod evitare non posse videbat, apparatus fecit: Joachimus autem Murat, illius affinis, Rex Neapolitanus inimicum cepit foederatis consilium, et ad ejus societatem se applicuit. Haec res foederatos Principes arctius conjunxit; illis autem hostibus perniciosa fuit. Joachimus enim ab Austriacis celeri expeditione debellatus, Regnum, et cum idem recuperare vellet, vitam amisit: Napoleon ab Anglis, et Borussis ad Vaterloo victus, postquam secundo semet Imperio abdicasset, elabi in Americam volens, in Anglorum venit potestatem, et non multo post ad insulam S. Helenae missus est, captivus foederatorum Principum, ibi reliquam vitam exacturus. Ludovicus XVIII. iterum ad thronum rediit. Gallia arctioribus aliquantum limitibus circumscripta, ad sumtus expeditionis, 700 milliones numorum Francorum, solvendos, alenda per quinquennium 150,000 foederatorum militum, et sarcienda detrimenta, quae Galli prioribus annis diversis Europae rationibus intulerunt, obstricta est.


His bellis defunctus Caesar, legibus pacis Parisiensis, Congressus Viennensis, et Tractatum seorsim cum quibusdam Principibus foederatis initorum, quae prioribus bellis amiserat, recupe-

ravit. Ex provinciis Italicis Regnum Veneto Longobardicum; ex illis autem, quas Napoleon a Monarchia Austriaca avulsas, Illyrici nomine complexus erat, additis vicinis ditioibus, Regnum Illyriae condidit. Cum Alexandro Russorum Imperatore, et Friderico Wilhelmo Borussiae Rege die 26-a Septembris A. 1815. Foedus Sacrum percussit, quod plurimum jam Principum accessione firmatum, eo pertinet, ut omnia Principum consilia, et negotia ad religionis Christianae, aequitatis, et pacis praescriptum, tamquam ad amissim exigantur.

Ceterum inde a principio regiminis omnes Augusti Caesaris, et Regis Apostolici curae, conatus omnes in subditorum sibi populorum felicitatem, et sacrae, profanaeque Reipublicae decus augendum diriguntur. Conditum A. 1816. Viennae Augustineum Institutum Presbyterorum, in quo octo Hungari, praeter alias utilissimas constitutiones: plurimi, qui de litteris bene meruerunt, dignitatibus, honoribus, privilegiis Nobilium, praemiis exculsi viri, aut Regis liberalitate dotati, sunt totidem, ut cetera silentio praeteream, Augusti ingentem Hungaram clementiae, studii in religionem, favoris in bonas artes, luculenta testimonia, Neque erectae Viennae, et variis legibus circumscriptae Mensae Fortunae (National Bank) alter scopus est, quam, ut curatis tot bellorum vulneribus, optata ubique felicitas revehatur.

9140-1954
DEBRECENI EGYETEM KÖNYVTÁRA
9140-1954
székhelyén





6876



